5 N. 6. .5.6.234

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHICAE INSTITUTIONES

AUCTORE

CAROLO ANTONIO ANDREINI

SACERDOTE FLORENTINO

ET IN PATRIO SEMINARIO

Philoſophiae ac Matheſeos Profeſſore

STUDIOSIS SUIS AUDITORIBUS ACCOMMODATAE.

TOMUS I.

HISTORIAM PHILOSOPHICAM ET LOGICAM

COMPLECTENS.





FLORENTIAE. MDCCLXIX.

Apud Moucke Archiepiſcopalem Typographum

Cum adprobatione.

Digitized by Google

LAVRENTIO CORBOLI

EQVITI D. STEPHANI PATRICIO FLORENTINO
PIETATE IN DEVM
MORVM SVAVITATE
MIRA INGENII PERSPICUITATE
AD OPTIMAS DISCIPLINAS PENITVS FACTI
SPECTATISSIMO
ET A LATINARVM GRAECARVMQ. LITTERARVM
PERITIA
SEVERIORVM SCIENTIARVM
CAESAREI AC PONTIFICII IVRIS SVPELLECTILE
COMMENDATISSIMO
QVOD OLIM INTER SVOS AVDITORES
IN PHILOSOPHICO AC GEOMETRICO PVLVERE
NAVITER DESVDARIT
ET MAXIMA DEDERIT VIRTVTIS EXEMPLA
IN DOCTIS IISQVE PVBLICIS PALAESTRIS
QVIBVS SE EXERCVIT
VT OMNIBVS ADMIRATIONI
AEQVALIBVS INCITAMENTO
MODERATORI FVERIT MAGNO DECORI
ET GLORIAE SINGVLARI
PHILOSOPHICAS INSTITVTIONES A SE EDITAS
PRO SVIS ERGA EVM OFFICIIS
CAROLVS ANTONIVS ANDREINI
HONORIS GRATIQUE ANIMI CAUSSA
D. D. D.

INDEX.

IN univerſam Philoſophiam Hiſtorica Diſquiſitio. Pag. 1.

CAP. I. *De Philoſophia Traditionaria.* 7.

CAP. II. *De Philoſophia Graecanica.* 15.

De Secta Ionica. 16.

CAP. III. *De Secta Italica.* 20.

CAP. IV. *Nova Sectae Ionicae periodus.* 24.

CAP. V. *De Secta Eleatica.* 41.

CAP. VI. *De Secta Epicurea.* 44.

CAP. VII. *De Philoſophis Eclecticis.* 47.

CAP. VIII. *De Nova Philoſophia.* 50.

LOGICAE PROOEMIUM. 67.

PARS I.

CAP. I. *De humani intellectus operationibus, & partibus Logicae.* 76.

CAP. II. *De Ideis.* 81.

CAP. III. *De Ideis referendo illas ad ſuas affectiones.* 84.

CAP. IV. *De Ideis referendo illas ad obiecta.* 87.

CAP. V. *De Idearum ſignis, ac vocibus.* 96.

CAP. VI. *De vocum ſpeciebus.* 100.

LO.

LOGICAE PARS II.

CAP. I. *De Iudicii, ac Propoſitionis natura, eiuſque diviſione.* Pag. 103.
CAP. II. *De variis Propoſitionum ſpeciebus.* 105.
CAP. III. *De variis Propoſitionum ſpeciebus, habita ratione formae; earumque proprietatibus.* 111.
CAP. IV. *De Propoſitionum Quantitate.* 113.
CAP. V. *De Propoſitionum Qualitate.* 115.
CAP. VI. *De complexis Propoſitionum proprietatibus.* 116.
CAP. VII. *De Definitione.* 120.
CAP. VIII. *De Diviſione.* 126.

LOGICAE PARS III.

CAP. I. *De Ratiocinationis, & argumentationis natura, variiſque ipſius ſpeciebus.* 130.
CAP. II. *De Syllogiſmo complexo, coniunctivo, eiuſque ſpeciebus.* 153.
CAP. III. *De variis Sophiſmatum generibus.* 156.

LOGICAE PARS IV.

CAP. I. *De Methodo.* 164.
CAP. II. *De Methodo Analytica.* 166.
CAP. III. *De Methodi Analyticae regulis generalibus, atque ſpecialibus.* 167.
CAP. IV. *De Methodo diſputandi, eiuſque legibus.* 172.
CAP. V. *De Methodo Synthetica, eiuſque legibus.* 177.

Ac-

Accedunt Axiomata; quorum quatuor ad Fidem Divinam; duo, quae ad calcem operis ſunt, ad humanam fidem ſpectant.

Haec circa Auctoritatem Fidemque Divinam verſantur.	*Axioma I.*	Pag. 182.
	Axioma II.	183.
	Axioma III.	184.
	Axioma IV.	190.
Haec de auctoritate ac fide humana agunt.	*Axioma I.*	191.
	Axioma II.	192.

Quod enim munus Reipublicae afferre maius, meliuſve poſſumus, quam ſi erudimus iuventutem? Magnum id quidem opus; & difficile: quis negat? Quid autem praeclarum, non item arduum? Sed tamen id ſe effecturam Philoſophia profitetur, cuius ſtudium, qui vituperat, haud ſane intelligo, quidnam ſit, quod laudandum putet.

Cicero de Divin. 2. Tuſc. 4. de Off. 2.

Digitized by Google

IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

HISTORICA DISQUISITIO.

Quandoquidem utiliſſimum, ac prorſus neceſſarium duximus, cum ad Logicam, Metaphyſicamque facultatem facilius comparandam, tum ad Phyſicam clarius intelligendam, ipſamque Civilem Juriſprudentiam ex Stoicorum principiis totam pene conflatam, ad quam addiſcendam acceditis, Hiſtoriam philoſophicam attexere; ipſo veluti in limine hanc ita exarandam aggredimur, ut Sectarum omnium ſeries, origo, principeſque viri, qui in illis floruerint, oculis veſtris ſubiiciantur; ut univerſa demum ratio nitide oſtendatur, nimirum a quibus praeſertim nationibus exculta, propagata, mirificeque illuſtrata fuerit Philoſophia. Haec autem, ut ab ipſo eius nomine exordiamur, nihil aliud eſt, ut inquit Cicero (1), quam *ſtudium, & amor ſapientiae*, cum duabus hiſce graecis vocibus conſtet φιλία nempe, quae ſtudium & amorem ſignificat, & σοφία, quae ſapientiam denotat. Sapientia vero a veteribus phi-

 lo-

(1) *Lib.* 2. *Offic.*

loſophis [1] definitur, Tullio ipſo referente, *Rerum divinarum, & humanarum, cauſſarumque, quibus hae res continentur, ſcientia* [2]. Et primo *ſcientiae* nomen accipi hic debet pro qualibet cognitione univerſali, certa, & evidenti [3]. Dicitur ſecundo *rerum divinarum* [4], *& humanarum* [5], nimirum ſpiritualium, inter quas divinae excellunt; & materialium, inter quas eminent humanae. Dicitur tertio *cauſſarum* [6], *quibus res illae*

(1) *Plat. ap. Ammon. in Iſagog. Porphyr. & Stoici apud Plutarch. de Plac. Proœm. lib.* 1.

(2) *Hinc Cicero praeclare, eleganterque deſcripſit Philoſophiam:* Rerum divinarum, & humanarum ſcientiam, cognitionemque, quae cuiuſque rei cauſſa ſit. *Tuſc.* 4. *Ut enim res ſciri dicatur, exploratam eſſe oportet cauſſam, propter quam ita eſt.* Ariſt. Poſter. Analit. c. 2.

(3) *Scientia vulgo definitur:* Cognitio vera, certa, & evidens rei cuiuslibet neceſſariae, & immutabilis per veras propriaſque cauſſas, propter quas ita eſt; vel certe propter quas ita eſſe conſtanter affirmatur, aut negatur.

(4) *Per* res divinas *intelligimus etiam Deum ipſum, & divina eius opera.*

(5) *Per* res humanas *poſſunt quoque intelligi ea omnia, quae pendent ab hominibus; in quo genere ſunt cogitationes mentis, actus voluntatis, & opera quaevis arte facta.*

(6) Cauſſae *nomen latiſſime uſurpandum hic videtur, ſcilicet pro* omni ratione, *vel* certo argumento, *quo aliquid affirmandum, vel negandum inducimur: ex. cauſſ. affirmo, omnem circulum eſſe rotundum, quia in idea clara, diſtinctaque circuli continetur rotunditas: non quod idea circuli ſit rotunditatis cauſſa effectrix; ſed quod ſit idonea ratio, cur circulum rotundum eſſe adſeverem. Sic etiam affirmo, me eni-*

hac continentur; ſcilicet cauſſarum, per quas res tum corporeae, tum incorporeae aut exiſtunt, aut certe agnoſci poſſunt. Exinde autem colligitur, Philoſophiae naturam poſitam eſſe in rerum divinarum, & humanarum cognitione, earumque cauſſarum; adeoque nobiliſſimum huiuſce facultatis munus eſſe, divina, humanaque omnia, ſola ratione duce, contemplari. Hinc Philoſophia artium, & ſcientiarum omnium humanarum mater, & altrix merito eſt nuncupanda, & habenda. Philoſophiæ, ac philoſophi nomen inveniſſe fertur Pythagoras (1), qui a Leonte Phliaſiorum Principe interrogatus, qua maxime arte confideret, & cuiuſnam ſectae σοφὸς eſſet, reſpondit: artem ſe ſcire nullam, ſolumque Deum σοφὸν, ideſt ſapientem; ſe vero eſſe philoſophum, ſcilicet ſapientiae (2) ſtudioſum; qui modeſtiore appellatione uſus eſt, ut Graecorum ſuperbiam, qui ſe ſapientes praedicabant, retunderet.

exiſtere, dum cogito: non quod mea cogitatio ſit exiſtentiae meae cauſſa effectrix; ſed quod in idea cogitantis, exiſtentis quoque ideam comprehenſam intelligam.

(1) *Cic. Tuſc.* 5.: *& Laert.* 8. *ſeg.* 8.

(2) *Ab eo tempore* Sapientiae, *ac* Philoſophiae *nomen promiſcuo ſunt ſenſu uſurpata: nec modo divinarum, humanarumque rerum cognitio, ſed etiam Iuriſprudentia, Medicina, Critica, Hiſtoria, Poeſis, Grammatica, ipſaque Chriſtianorum doctrina Philoſophiae nomine donabantur; & Doctores Eccleſiaſtici, & Aſcetae* Philoſophi *ſunt appellati. Verum haec late patent; philoſophiae vero vocabulum ſtricte eſt accipiendum.*

Philoſophia eſt *cognitio Veri, & Boni, recta ratione acquiſita, & ad veram hominis felicitatem comparata* (1). Recta Ratio a Philoſophis definitur *Facultas ratiocinandi*; nempe veritates alias ex aliis eliciendi per neceſſariam concludendi rationem.

I. Hinc autem ſequitur, quod quidquid Veri, & Boni recta ratione cognoſcimus, & ad uſum vitae, ac felicitatem hominum aut comparandam, aut conſervandam (2) poteſt revocari, philoſophia nuncupatur. Et quamquam cognitio Veri, & Boni ex duobus fontibus *Ratione* nimirum, ac *Revelatione* deducitur; ſingulae tamen cognoſcendi viae ſuo nomine donantur. Quae enim nobis ratione patefiunt; quaeve de Deo, vel de homine, rebuſque creatis diſſerunt, ad philoſophiam pertinent: quae revelatione, aut declaratione divina conſtant, ad Theologiam ſpectant.

II. Quum inſuper Philoſophia in Veri, & Boni co-

(1) *Ea enim eſt praecipuum verae felicitatis obtinendae adminiculum: unde iuremerito Sapiens* Sap. 7. v. 7. & ſeqq. Optavi, *inquit*, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiae: & praepoſui illam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.

(2) *Felicitas hominis vel eſt* Aeterna, *vel* Temporalis; *ad illam practica philoſophia viam ſternit, tametſi nonniſi divinitus tradita doctrina acquiri poſſit. Hanc partim ſanitate corporis, quae Phyſica, & Medicina comparatur, partim tranquillitate hominis externa, quae Iuriſprudentia naturali, & Politica proficiſcitur, obtinere poſſumus.*

cognitione conſiſtat ; ea philoſophiae pars , quae mentem praeceptorum ope ad veri cognitionem praeparat [1] , *Inſtrumentalis* [2] , ſeu *Logica* a veteribus appellari conſuevit : quae mentem ipſam veri cognitione imbuit , *Theoretica* [3] : *Practica* tandem , quae ad verum Bonum perducit [4] . Theoretica mentem imbuens veri cognitione , ſi veritates de Deo inquirat , *Theologia Naturalis* : ſi circa mentem creatam verſetur, *Pneumatologia* dicitur ; verum utraque pars *Metaphyſicae* no-

(1) *Eam Philoſophiae partem , quae animum ad veri cognitionem praeparat , & Inſtrumentalis dicitur , veteres appellabant* λογικὴν ; *Theoreticam* φυσικὴν ; *Practicam* ἠθικὴν, *vocibus hiſce in ampliori ſignificatione acceptis* .

(2) *Inſtrumentalis mentem illuſtrat , vel eam talibus imbuit praeceptis , quibus in unaquaque diſciplina verum intelligat.*

(3) *Theoretica dicitur ea* , cuius finis eſt contemplatio , *ſive* quae in ſola veritatis contemplatione quieſcit, nec tendit ad opus ; *quaeque triplex ab Ariſtotele recenſetur* lib. 6. Metaphyſ. c. 2. *Mathematica* , *Phyſica* , & *Theologia Naturalis* . *Theoretica res ipſas perſequitur , ac primum naturam Dei , ac proprietates indagat ; ceterorumque , quae Deus ipſe hominis cauſſa condidit, explorat vim , & uſum ; nimirum & rerum naturam inquirit , & exponit , quomodo corpus noſtrum a malis ſervemus , & quo pacto res creatas ad noſtram flectere poſſimus utilitatem* .

(4) *Practica dicitur ea* , cuius finis eſt praxis , *ſeu* quae non quieſcit in obiecti ſui contemplatione, ſed aliquid circa illud operatur, aut potius operandum docet ; *quales dici ſolent* Logica , *atque* Ethica . *Practica affectus moderatur , viamque ſternit , qua ad ſummum Bonum accedamus , & in humana ſocietate honeſtam , ac tranquillam vitam degamus* .

nomine ſolet deſignari: ſi circa rerum naturalium cauſſas quid verum ſit, exploret, *Phyſica* nuncupatur. Practica demum vel docet quid generatim bonum, viam ſternens, qua affectus moderemur, & ad ſummum bonum accedamus; vel ſpeciatim quid iuſtum, honeſtum, decorum; vel tandem quid utile ſit. De bono in genere *Ethica*: de iuſto, honeſto, ac decoro *Ius Naturale*: de utili *Politica*, & *Oeconomica* agunt[1].

III. Philoſophia ex recta ratione eſt derivata; unde facile infertur, *Scepticam* nullo pacto philoſophiae nomine decorandam eſſe, quia nihil cognoſci poſſe profitebatur: quemadmodum philoſophiae vocabulum tribuendum non eſt ſcientiae Veri, & Boni, quam vel a Maioribus per manus traditam veteres accipiebant, quae *Traditionaria* dicebatur; vel ei, quae ex Scriptura Sacra hauritur, & *Scripturaria* appellatur; vel ex doctis cuiuſdam praeceptis repetitur, quae *Sectariae* nomen habet. Harum etenim nulla ex recta ratione derivata eſt; quoniam Traditionariae principium eſt Maiorum auctoritas, qua praecipue nitebantur Barbari; Scripturariae

(1) *Pythagoraei, & Platonici philoſophiam in duas partes dirimebant; alteram, quae de Deo; alteram, quae de homine diſputat. Ariſtoteles diſciplinas in tres claſſes diviſit:* Speculatrices, *uti ſunt Phyſica, Matheſis, Theologia:* Practicas, *ut Ethica, Politica, Oeconomica:* Operatrices, *ut Medicina, Poetica, Grammatica, Statuaria, Pictura. Stoici tres etiam Philoſophiae partes adnumerant:* Moralem, Naturalem, Rationalem. *Idipſum Epicurei. Cyrenaici tamen ſola* Morali *contenti ſunt.*

riae Scripturae Sacrae teſtimonium, ex qua Ioannes Amos Comenius, aliique recentioris aevi ſcriptores philoſophari coeperunt; Sectariae denique fundamentum eſt unius hominis auctoritas, quam ſectarii tamquam oraculum venerantur. Unde *Dogmatica* ſolum, & *Eclectica* nobiliſſimo philoſophiae nomine inſigniri debebunt.

IV. Denique philoſophiae facultas ad veram hominis felicitatem comparata eſt; Veri enim, & Boni cognitione humana voluntas ad virtutem acquirendam excitatur, proindeque ad beate, ac tranquille vivendum homines comparantur. His itaque praeiactis fundamentis, ad Philoſophiae hiſtoriam attexendam animum intendentes, eius ortum, atque viciſſitudines patefaciemus, tum praecipua ſectarum dogmata proponere curabimus, eaque ex philoſophorum vita, cum erit occaſio, dilucidare ſtudebimus.

DE PHILOSOPHIA TRADITIONARIA.

C A P. I.

VEtus Philoſophia in Barbaricam, & Graecanicam (1) vulgo diſtinguitur: atque ut ordine progrediamur, de barbarica primum ſermonem inſtituemus. Barbari a veteribus Graecis ii vocabantur, qui graecae non erant ori-

(1) *Priusquam Graeci alicuius nominis eſſe coeperint, Barbaros iampridem incredibilem ſapientiae laudem ſibi peperiſſe legimus. Hoc tamen negat Diogenes, ſed argumentis ſubleſtis, ac pene puerilibus, itaut facile pateat, eum nimio patriae amore fuiſſe abreptum.*

originis ; unde & Hebraei eo nomine notabantur . Horum philoſophia Traditionaria dici debet ; etenim antiqui primaeque aetatis homines pollebant quidem Veri , Bonique notitia a maioribus tradita , ut ex ſacris Litteris haud obſcure colligitur ; & toti in eo erant , ut eadem filios imbuerent , eoſque docerent honeſtatem , ac pietatem , mundi hiſtoriam , beneficia a Deo homini collata , pacta inter Deum ipſum , atque hominem , huius lapſum , illius clementiam , & Reparatoris promiſſionem ; eamdemque doctrinam ad poſteros puram , & intemeratam tranſmitterent . Haec autem omnia hominem certe pium , & ſapientem efficiunt , non tamen philoſophum . Quae veteribus Patriarchis Adamo , Abrahamo , Iſaaco , Iacobo , Ioſepho , ceteriſque ſapientiſſimis viris prima fuit Veri , & Boni cognitio a Deo accepta , & ad felicitatem comparata ; eadem & Moyſi , Salomoni , & Danieli fuit : nam ex ſacris Scripturae verbis erui facile poteſt , eorum ſapientiam , non ratione , ac meditatione , quod nos philoſophiam nuncupamus , fuiſſe acquiſitam ; ſed a Deo luminum Patre donatam , quam Theologi vocant *ſcientiam infuſam* . Itaque manifeſto patet , Traditionariae philoſophiae ſtudium apud antiquiſſimos Hebraeorum Patriarchas non interrupta ſerie viguiſſe .

Statum erat , certumque Hebraeorum dogma , mundum nec eſſe ab aeterno , nec aeternum ; ſed a Deo fuiſſe creatum . Deum vero Ens ſapientiſſimum eſſe , optimum , potentiſſimum : quod quidem ex inſtituto a Moyſe ſcriptorum omnium primo , ac principe ſub Geneſeos

ini-

initio explicatur. Reverſi autem ab exilio Babylonico Hebraei graeciſſare coeperunt, ac philoſophiae graecanicae principia cum antiqua Patrum ſapientia immiſcere, atque confundere. Inde tres ortae ſunt ſectae; Phariſaeorum prima, qui ad Stoicos; Sadducaeorum ſecunda, qui ad Epicureos; Heſſenorum tertia, qui ad Pythagoraeos potiſſimum revocari facile poſſunt. Phariſaica igitur ſecta ſimillima erat ſectae Stoicorum Graecanicae: Sadducaei Epicuri principia adoptaverant: Heſſeni Pythagoricae ſectae dogmata [1] erant amplexati.

Ad Aegyptios, philoſophicarum omnium diſciplinarum parentes a Macrobio [2] habitos, modo accedamus; quos de origine mundi ita ſenſiſſe narrat Diodorus [3]. 1. Extitiſſe Chaos quoddam primigenium. 2. Motu deinde ſingulas univerſi partes locum accepiſſe ſuum, ita ut vi mechanica ignis ſublimem, terra infimum, media corpora medium obtinerent locum. Quibus omnibus addebant Aegyptii, ut tradit Laertius, mundum hunc mechanice ortum, mechanice fore interiturum, nimirum aut combuſtione, aucto ignis calore; aut cataclyſmis, ſeu

(1) *Haec autem mixtura philoſophiae Pythagoricae cum Hebraica adhuc in* Chabbala *ſupereſt, de qua licet magnifice permulta praedicant Hebraei, ipſum nihilominus ſyſtema Chabbaliſtarum plane non hebraicum, ſed vere Pythagorico-Platonicum eſſe, omnes fatentur. Hodierni autem Hebraei aut ſolis vacant ſtudiis Talmudicis, aut ſi philoſophantur, Ariſtotelis, vel Chabbaliſtarum placita ſequuntur.*

(2) *Macrob. Somn.* 1. *c.* 19. *Satur.* 7. 13. *& c.* 14.

(3) *Lib.* 1.

ſeu inundatione, excreſcentibus aquis. Animi immortalitatem, atque μετεμψύχωσιν adſtruebant[1]: & Solem, quem Osiridem, ac Lunam, quam Isidem dicebant, adorabant. Operam dediſſe Aegyptios Geometriae[2], Aſtronomiae[3], aliiſque Matheſeos partibus, tot obeliſci, pyramides, aliaeque moles ſtupendae ſatis ſuperque demonſtrant[4]. Philoſophiae originem tribuebant Isidi, Osiridi, Vulcano, Mercurio, & Herculi, ſi vera ſunt, quae nobis narrat Diodorus Siculus.

Praeter Hebraeos, & Aegyptios inter Barbaros philoſophos adnumerandi ſunt Chaldaei, Perſae, Indi, Sinenſes, atque Phoenices. Ad Chaldaeos quod attinet, antiquiſſimum Doctorum genus a Tullio[5] appellatos, ipſi originem ſapientiae ſuae ad Zoroaſtrem, de quo incerta omnia referebant[6]. Naturarum omnium tres poſuerunt claſ-

ſes,

---

(1) *Animae humanae in Aegyptiorum ſententia ſoluto corpore ad aſtra, ſeu fontem ſuum redeunt; quae bonae fuerunt, celerius; quae malae, poſt longam tranſmigrationem per alia corpora etiam bellnarum.*

(2) *Herod. in Euter. Strab.* 16. 17. *Plat. Phaed. Diod.* 1.

(3) *Plat. in Epinom. Ariſt.* 1. *Metaph. Diod.* 1.

(4) *Solertes autem fuiſſe in artibus reperiendis, in cognitione rerum indaganda ſagaces, & Aegyptum ipſam artium matrem merito nuncupatam Agellius* 11. *c.* 18., *& Macrobius Saturn.* 1. *c.* 16. *Somn. Scip.* 1. *c.* 21. *narrant.*

(5) *Lib.* 1. *de Divinat.*

(6) *Cognitione aſtrorum, ſolertiaque ingeniorum ceteros omnes ita antecelluiſſe dicuntur, ut ingreſſo Babylonem Alexandro* 470000. *annorum obſervationes oſtenderint, quarum plurimas Calliſthenes Alexandrum ipſum ſequutus ad Ariſtotelem miſit. Apud Simp. in* 2. *de Coelo.*

ſes, in quarum prima eam locarunt Naturam, quae nec initium habuit, nec finem eſt habitura; in altera illas, quae initium habuere, ſed fine ſunt cariturae; in tertia perituras tantummodo. Ad primam claſſem ſpectat ſupremum Numen, ſeu unicum illud, atque optimum rerum omnium Principium, ſupremi Ignis (1) nomine ab iis deſignatum. In ſecunda, ut refert Stanleius (2), ante hunc mundum corporeum, mundum (3) alterum naturarum ſpiritalium a Deo creatum conſtituerunt: quod & placuit Theologis ferme omnibus graecis, latinorum pluribus, qui Angelos, ut D. Hieronymi verbis utamur, *plures aeternitates*, ante corporeum mundum conditos docuerunt (4). In tertia tandem materiam poſuere (5), & chaos mundo (6) praeextitiſſe ſenſere. Ex ea autem materia tres praecipue mundos conflatos eſſe exiſtimarunt, 1. Empyreum, 2. Aethereum, 3. Materialem; quos Franci-

---

(1) *Hic autem ignis per univerſam materiam, quae tenebrarum nomine a Chaldaeis notabatur, diffunditur, ut ipſi putabant, eamque vivificat; unde in Oraculis itidem nuncupatur* ζωογόνιονπυρ *vivificus ignis.*

(2) *Par.* 13. *Sect.* 1. *c.* 1.

(3) *Mundum hunc* intelligibilem *dixerunt, eumque primum omnium lumine illo Dei illuſtratum docuere; pleraſque aliorum mentium deſciviſſe a Deo, cauſſamque fuiſſe, cur inferior ac tenebroſus mundus crearetur.*

(4) *Legatur Origenes in lib.* περὶ ἀρχῶν: *Lactantius lib.* 2. *Inſt. Divin.: & Petavius de Angelis.*

(5) *Diod. Siculus lib.* 2. *Hanc vero materiam aeternam poſuerunt Chaldaei.*

(6) *Euſeb. in praep.*

ciſcus Patricius ita diſtribuit : Empyreum ; Aethereos nempe orbes fixarum , & Planetarum , praeter Lunam ; & Elementares, ideſt aereum, aqueum, atque terreſtrem. Gens autem haec Aſtrologiae Iudiciariae impenſe addicta putabat , ſeptem erraticas ſtellas agere in quodlibet eorum , quae in vita accidunt .

A Chaldaeis edocti Perſae eaſdem ſententias ſunt vel ipſi amplexati ; & ignem coluerunt (1). De Deo male ſentiebant , duo ſtatuentes principia inter ſe contraria , *Horomazen* boni auctorem , mali autem *Arimanem* , utroſque inferioris ordinis Deos ; eorum vero maximum *Mithran* appellabant ; quae quidem principia ſeculo Chriſtiano tertio Manichaeiſmum (2) pepererunt . Philoſophiae ſtudio, aeque ac ſacris praeerant apud eos Magi , quorum ſapientiſſimi habiti ſunt Zabatres , & Zoroaſtres (3) .

Magna ſapientiae laude ante & poſt Alexandri Magni tempora floruerunt Indi (4), quorum philoſophi dicebantur Brachmanes , graecis autem Gymnoſophiſtae , quod nudi incederent (5) . Quae autem ipſorum fuerit de

(1) *Voſſ. de Idolol. lib.* 2. *c.* 64.
(2) *Heinec. Elem. hiſt. Philoſ. P.* 1. *c.* 2. §. 26.
(3) *Hic diſtinguitur cum a Chaldaeo , qui fulmine ictus periit , tum a Bactrianorum Rege Zoroaſtre , a Nino victo .*
(4) *Strabo lib. XVI. p.* 351.
(5) *Clemens Alexandrinus* Sarmanes *vocat Strom.* 5. *Porphyrius vero* Samanes . *Hos autem Plinius narrat l.* 7. *c.* 2. *ab ortu ad occaſum perſtare contuentes ſolem immobilibus oculis , ac ferventibus arenis toto die alternis pedibus inſiſtere .*

de origine mundi ſententia non admodum liquet. Proditum tamen eſt a recentioris aevi ſcriptoribus, Indos ſenſiſſe Deum, quem Ignis intellectualis corporei nomine deſignabant, mundum efformaſſe, pervaſiſſe, animaſſe. Ex hac mundi anima, ſeu igne rationali, qui perpetuo agitatur, omnia emanaviſſe; animum etiam humanum, qui eſt in illorum ſententia Ignis Rationalis particula. Tandem animos ipſos poſt mortem agitatione purgatos ab omni ſorde, & ad ignis naturam redactos, poſt diuturnam periodum ad ipſius lucis Oceanum eſſe redituros. Syderum motus, & coniunctiones obſervabant, ut ex iis futura praedicerent: quae quidem ſuperſtitio magno ſemper fuit in pretio apud Orientales gentes.

Ad Sinenſium ſyſtema explicandum nobis gradum facientibus; Mundum ex duobus conflatum exiſtimarunt Sinenſes, primo Materia craſſiore; ſecundo aetherea, atque, ut aiebant, activa, quae ſit mundi ſpiritus, ex eaque humanus quoque animus emanet, vel huius ſit particula. Unde conſtat, ſtolidos iſtos Confucii Sinarum philoſophi Sectatores Deiſmum eſſe profeſſos. Pantheiſmum etiam apud illos regnaſſe affirmant, qui de rebus Indicis, ac Sinenſibus paullo certiora memoriae mandarunt [1]; quoniam praeter Coeli animam, quam ſumma Religione colebant, ceteros etiam Deos venerabantur. Eorum Ethica non ad coercendas, moderandaſque animi appetitiones, ſed ad politicam tota erat conformata.

Suc.

(1) *Desland. in hiſt. phil. lib. 1. c. 17.*

Succedunt his Phoenices, populi celeberrimi litterarum inventione, numerorum, Aſtronomiae, atque Nauticae, ut apud Herodotum, ac Diodorum legitur. Laude digni habentur inter Phoenicum philoſophos Sanchoniathon, & Moſcus, qui Syſtematis Atomorum auctor eſſe fertur [1]. Celebrantur praeterea Gallorum, Britannorum, Germanorum, ac Septentrionalium gentium Druides, & Bardi [2]: Thracum Orpheus, cuius ſuperſunt phyſicae quaedam doctrinae de plurium mundorum habitabilium Syſtemate: Italorum denique Etruſci, qui divinandi diſciplinam Romanos docuere. Verum illorum omnium ſicuti eſt obſcura hiſtoria, ita obſcuriſſima philoſophandi ratio. Duo haec dumtaxat ſunt nobis explorata, primo omnes iſtos circa rerum originem eodem ſerme modo, quo recenſiti alii, in hoc mirifice conveniſſe, ex Chaos primum orta eſſe omnia: ſecundo pleroſque iſtarum gentium ſapientes fuiſſe ſacerdotes, qui populo iuſdicebant, Religionis erant interpretes, futura praedicebant; quam divinationem ad ſuum referebant commodum, vel ad Regum voluntates; & hiſce

ar-

(1) *Ita ſenſerunt Strabo 16. Geog.*, *& Sextus Empyricus lib. 1. adv. phyſic. atque ex inſtituto hac de re prolixe diſputat Radulphus Cudworthus ſub initium* Syſtematis intellectualis univerſi, *ibique vir elegantiſſimi, acerrimique iudicii Moſhemius*.

(2) *Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas*
Laudibus in longum, Vates, demittitis aevum:
Plurima ſecuri fudiſtis carmina, Bardi.
Lucan. lib. 1.

artibus rem & ſacram, & profanam publicam adminiſtrabant.

DE PHILOSOPHIA GRAECANICA.

CAP. II.

Quamquam a barbaris, ut ſunt Thraces, Phoenices, Aegyptii, ceterique Orientales aliquam divinarum, humanarumque rerum notitiam Graeci acceperunt (1); hanc tamen ſibi peculiarem vindicant laudem, quod vel a prima gentis aetate rationem conſuluerint, atque ex ea philoſophiam amplificarint plurimum: quae quidem ſtudio, diligentia, & exercitatione ita a Graecis propagata eſt, ut ſapientiae graecanicae fons in plures veluti rivos brevi tempore fuerit derivatus. Complures enim apud Graecos philoſophorum Sectae floruerunt, quarum Voſſius duodeviginti enumerat. Inter ceteras tamen omnes illuſtriores exiſtimantur *Ionica*, *Italica*, & *Eleatica*; de quarum ſingulis ſermonem habituri a Ionica initium ducemus.

DE

(1) *Traiecto mari ex Aegypto, & Phoenicia ſapientiae ſtudium ad Graecos delatum uberius adeo, & illuſtrius evaſit, ut Graecia [teſte Philone apud Euſeb. 8. c. 5.] ſola homines generare vere coeleſtes, atque divinos, natura ad omnem ſcientiam natos, putaretur; praeſertim cum poſt illorum ſeptem Sapientum gloriam, incredibile ſit, quanto veritatis inquirendae ſtudio Graecia omnis exarſerit.*

DE SECTA IONICA.

Secta, cuius nomen a *ſecando*, ut quibuſdam videtur, vel ut aliis placet a *ſectando* derivatur, eſt ***hominum multitudo eamdem diſciplinam, eademque principia propugnantium***. Ionici dicti fuere peculiari nomine Phyſici, quia Phyſicae facultati toto ſe ſtudio tradebant, naturales tantum res ſcrutabantur, veteri lege abrogata Theologico more philoſophandi, per ſymbolorum nempe caliginem (1). Antiquiores enim philoſophi ob populi ſuperſtitionem vetabantur de rerum natura aperte loqui: quapropter duplex adhibebant idioma, *Theologicum* unum cum populo, quo quidem idiomate ſuas ſymbolorum obſcuritate ſententias involvebant; alterum vero *Phyſicum* cum initiatis (2). Ionicam Sectam (3) Thales Mileſius (4) inſtituiſſe dicitur, ortus anno primo Olympiadis trigeſimae quintae, videlicet ſexcentos quadragin-

ta

(1) *A Thalete videtur haec philoſophandi libertas apud Graecos ſuam habuiſſe originem. Sed ne tulere quidem diuturnius eam Graeci ipſi libertatem; quod quidem Anaxagorae exilium, Socratis mors, Ariſtotelis fuga abunde declarant. Inde iterum platonica Pythagoraeorum deliria, & myſteria invaluere apud gentem, cuius craſſi oculi purioris lucis ſplendorem pati nequibant. Vid. Lactant. lib. 2.*

(2) *Burnetius in Archaeologiis.*

(3) *Ionicam ſectam Phoenix fundaſſe dicitur a Burnetio: a Diogene Laertio Anaximander, qui cum Thaletis diſcipulus fuerit, potuit eidem id tribui, qui auxerat, quod magiſter inchoaverat.*

(4) *Auguſtinus de Civit. Dei l. 8. c. 2.*

ta annos ante Aeram vulgarem, ideoque a Cretenſi diſtinguendus, qui Homeri, & Lycurgi aetate floruerat. Thales igitur *Phyſicorum princeps* a Tertulliano [1], & *Philoſophorum antiquiſſimus* ab Auguſtino appellatus, poſtquam ſapientiae cauſſa magnam vitae partem peregrinando conſumſerat, Mileti in patria privatus, & coelebs conſenuit, & tum civium, tum Biantis, Pittaci, Solonis, Cleobuli, Myſonis, & Chilonis ſuffragiis primum veluti locum inter Graeciae ſapientes obtinuit [2]; tantamque ſuis phyſicis inſtitutionibus gloriam ſibi comparavit, ut merito Philoſophiae inventor fuerit proclamatus [3]. Thaleti [4] ſucceſſit in Schola Ionica Anaximander, qui privatam Thaletis inſtitutionem publicam fecit, primuſque naturalis philoſophiae praecepta ſcripto conſignavit; quod antea nefas erat. Ab hoc Anaximenes eruditus naturalem docuit philoſophiam Anaxagoram Clazomenium, & Diogenem Apolloniatem, qui ipſi ordine ſucceſſere: huic vero Archelaus Anaxagorae diſci-

T. I. B

(1) *Tertull. Apol. c. 26.*

(2) *Laert. lib. 28. & Val. Max. 4. 1.*

(3) *Interrogatus, quid in rerum natura difficillimum exiſtimaret*; ſeipſum, *inquit*, noſſe.

(4) *Veriſimile eſt, nihil ſcriptum reliquiſſe Thaletem praeter* αδόμενα*: quidquid dicat Plutarchus, aliique, qui certa haud proferunt monumenta. Fabricius Bibl. Graec. Vol. 1. pag.* 238. 239.

Sphaeram cæleſtem primus invenit, quam Pythagoras in zonas diviſit, & Urſam Minorem primus agnovit: Solis diametrum, eiuſque annuam periodum deprehendiſſe quoque dicitur ab Auguſt. de Civit. Dei.

Digitized by Google

ſcipulus, qui Socratem Athenis auditorem habuit, a quo paullo inferius novam ordiemur Scholae Ionicae periodum.

Veriſimilius Ionicorum ſyſtema in Moshemii ſententia eſt [1], Ionicos habuiſſe Deum tamquam mundi animam; ſcilicet in materiam ita eſſe immerſum, & tam arcto nexu illi coniunctum, ut anima corpori: mundumque a Deo ipſo conditum tradidiſſe, narrat Laertius. De univerſi autem materia ſchola haec in varias ivit ſententias. Thales enim omnia ex aqua derivabat [2]: ad quod plane ſpectare videtur illud Pindari effatum initio ſuae Olympiacae odes Ἄριστον μὲν ὕδωρ ſcilicet *optima quidem aqua*: Anaximander vero ab *infinitate naturae* [3] cuncta repetebat; etenim univerſi materiam exiſtimabat infinitam quamdam extenſionem, quoad totum immutabilem, mutabilem vero quoad partes, ex qua naſcerentur, in quam redirent omnia [4]: Anaximenes, & Archelaus ex aere, univerſi materiam *aeris infiniti* nomine indigitantes: Anaxagoras tandem rerum omnium principium ſtatuit *Homoeomeriam*, nempe ſimilitudinem partium a Lucretio elegantiſſime deſcriptam in *lib.* 1. *verſ.* 8. & ſe-

(1) *Ad Cudworthi ſyſtema intellectuale cap.* III. §. 21. *num.* 8.

(2) *Plutarchus plac. Philoſoph.* 1. 3. *Deum* cuncta ex aqua finxiſſe, *doctrinam eſſe Thaletis*, *tradit Cicero lib.* 1. *de Nat. Deor.*

(3) *Cic. Acad. quaeſt.* 4. 37.

(4) *Plut. de plac. in prima.*

ſequentibus (1); materiam enim univerſi putavit infinitum quoddam ex infinitis particulis variorum generum, ſimilium tamen conflatum. Praeterea Matheſi vacarunt Ionici, ac Theoremata, & Problemata nonnulla invenerunt, quae a Stanleyo recenſentur (2). Denique de aſtrorum phaenomenis, meteoris, aliiſque, quae in rerum natura contingunt, quaedam adeo accurate inveſtigarunt, ut Burnetius illud de Ionicis pronunciaverit: Gratulari nos oportere, veram Caeli phyſicologiam, quam nuperis ſaeculis reſtitutam vidimus, Ionicis haud ignotam fuiſſe.

(1) *Nunc & Anaxagorae ſcrutemur homoeomeriam,*
Principium rerum, quam dicit homoeomeriam;
Oſſa videlicet a pauxillis atque minutis
Oſſibus, & ſic de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni, ſanguemque creari
Sanguinis inter ſe multis coeuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
Aurum, & de terris terram concreſcere parvis:
Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus eſſe:
Cetera conſimili fingit ratione, putatque.

(2) *De Thaletis Geometria diſſerit Stanleyus hiſt. phil.* 1. *c.* 7. *p.* 19. *Proclus autem* in Euclidem lib. 1. *ab Aegyptiis Thaletem Geometriam ad Graecos derivaſſe, ſed complura illi adiunxiſſe ſcribit. Horum quaedam inſtitutionibus ſuis geometricis Euclidem admiſcuiſſe compertum eſt, quorum Stanleyus ſequentia refert.*

I. Quaevis diameter circulum biſariam ſecat; quod ſane theorema pro diametri definitione accipiendum eſt.

II. Triangulorum Iſoſcelium anguli ad baſim ſunt inter ſe aequales; & productis lateribus &c. *III.*

CAP. III.

ITalica ſuam debet originem Pythagorae, ut nonnullis placuit, Samio, aliis multo probabilius Etruſco (1), qui Olympiade quinquageſima tertia ineunte, ſive ſexto

III. Si duae rectae mutuo ſe ſecent, angulos ad verticem faciunt inter ſe aequales.

IV. Eidem tribuit prop. 26. l. 1. ſicut & Ramus ipſi tribuit primas quinque propoſitiones libri 4.

(1) *Diſſident Hiſtorici de Pythagorae patria; Porphyrius enim* in vita Pyth. *Metapontinum*; *Ovidius* lib. 15. Met. *Samium facit; Graecum Stanleyus, cuius ſententiam egregie confutavit eruditiſſimus Maffeius in ſuis* Obſerv. Litter. Tom. 4. pag. 72.; *Etruſcum namque fecit Plutarchus* in Symp. 7. qu. 7. *Quidquid ſit, Pythagorae philoſophia cum Etruſcorum doctrina mire conſentit, atque omnium prima Graeciam omnem invaſit, ut Diogenes Laertius* in princip. Edit. Lugdun. an. 1541. pag. 13. & 14. *teſtatur; qui controverſiam illam inſtituens, utrum Philoſophia ortum a Graecia duxerit, vel potius a Barbaris fuerit ad Graecos aſportata; concludit, Pythagoram Scholae Italicae fuiſſe inſtitutorem, & omnium primum inter Graecos philoſophicas diſciplinas induxiſſe; quod plane Euſebius quoque affirmavit* lib. 10. c. 2. *Hinc Graecanica Philoſophia ab Etruſcorum Philoſophia ſuam repetit originem. Quidquid enim Italia ab Aegypto didicerat, ad alios populos, praeſertim vero ad Graecos propagavit, ut erudite, uberrimeque demonſtrat ampliſſimus Praeſul vir apprime ſapiens, & artis Hiſtorico-Criticae peritiſſimus Marius Guarnacci Patritius Volaterranus*

to ante Chriſtum ſaeculo floruit. Philoſophus iſte praeceptorem habuit Phaerecidem Syrum: & ſi ſcriptoribus quibuſdam habenda eſt fides, Aegyptios primum, apud quos viginti duos annos moratus eſt, deinde Phoenices, Chaldaeos, atque Perſas Litterarum ſtudio flagrans adiit; Porphyrii enim teſtimonio Geometriam ab Aegyptiis; Numerorum, ac proportionum doctrinam a Phoenicibus; a Chaldaeis Aſtronomiam; a Magis Perſarum philoſophis Ethicam, atque Metaphyſicam didiciſſe narratur; in eaque peregrinatione quadraginta circiter annos conſumſiſſe. In Orientalem tandem Italiae (1) plagam, quae olim Magna Graecia, nunc autem Calabria dicitur, ſe recepit (2), & Crotone ſcholam, vel κοινόβιον ideſt Coenobium aperuit, ex quo maxima diſcipulorum (3) cohors pro-

nus in ſuo praeclaro opere, cuius titulus Origini Italiche Tom. 2. lib. 6. c. 1. pag. 109. & c. 2. pag. 160. *Diſputant quoque veteres Hiſtoriae Scriptores de tempore, quo in lucem editus fuit Pythagoras. Dodvellus* Diſſert. de Cyclis *in Olympiadem* 53., *Loydius* Diſſert. de aet. Pyth. *& Bentbleius* Diſſert. de Epiſt. Phalar. *in Olympiadem* 43. *ortum illius retulere.*

(1) *Praecellens hic naturae, verique ſcrutator collecta ſibi in variis mundi partibus magna doctrinae copia, demum circa Olympiadem LXVII. deceſſit.*

(2) *Iamblych. c. 5. n. 26. & 29.*

(3) *Tanta ſapientiae fama claruit Pythagoras, ut, Laertio teſte* in vita Pythag., *neque pauciores ſexcentis eſſent, qui noctu ad illum audiendum confluerent, & ſi qui praeſentia ipſius frui meruiſſent, ſcriberent ſuis, tamquam magnum quiddam, ac praeclarum adepti.*

prodiit [1]. Egregios habuit ex Aſia, & Europa ſectatores [2], inter quos Plato, (licet ad Ionicam potius pertinere videatur) eſt numerandus; nam a Pythagora [3] tum

---

(1) *Pythagorae diſcipulorum elenchum alphabeticum Fabricius intexuit* lib. 2. c. 13. , *quorum alii erant* Eſoterici, *id-eſt perfecti; alii* Exoterici, *ſive auſcultantes: vel potius alii* Mathematici, *alii* Acuſmatici *dicebantur*, *de quibus Iambl.* in vita Pyth. ſegm. 18.

(2) *Praecipui ex Pythagoricis ſunt Archyta Tarentinus*, *Ocellus*, *Lucanus*, *Epicharmus*, *Hipparchus*, *Philolaus*, *Timaeus Locrus*, *&* *alii*.

(3) *In confeſſo eſt apud omnes*, *eum primum Geometriam*, *Arithmeticam*, *Muſicam excoluiſſe*, *ſuiſque inventis ſcientias iſtas locupletaſſe*, *inter quae eſt nobile illud Theorema de hypothenuſae poteſtate in triangulo orthogonio*, *teſte Laertio* lib. 8. c. 12. *Philoſophiam in Theoreticam*, *&* *Practicam dividebat*; *Theoreticae finem eſſe dicebat* Nihil admirari; *ita Plutar. de* audiendo Tom. 2. pag. 44. *Practicae*, *mentem ex vinculis corporis eruere*, *atque in libertatem vindicare*; *&* *in hoc veram felicitatem ſitam eſſe ſentiebat*. *Theoreticae autem partes erant* Intelligibilia *de Deo*, *&* *Diis*; *&* Naturalia *de rebus corporeis*. *Deum ſtatuebat unicum*, *ſimpliciſſimum*, *inſenſibilem*, *incorruptibilem*, *inviſibilem*, *luci*, *&* *veritati ſimillimum*, *quin ſolum Sapientem*; *eumque definiebat* Animum per univerſas mundi partes commeantem, atque diffuſum, ex quo omnia, quae naſcuntur, animalia vitam capiunt; *Tullius* lib. 1. de Nat. Deor. *Lact. in hiſt.* lib. 1. c 5. *Praeterea ſubiiciebat Deos*, *Daemonas*, *&* *Heroas*, *de quorum natura*, *operationibus*, *cultu philoſophabatur*. *Quae ſupra Lunam ſunt*, *Providentia regi adfirmabat*; *res autem ſublunares partim fato*, *partim fortuna*, *partim providentia*, *partim conſilio*.

Digitized by Google

tum Mathematicas, tum Metaphyſicas res accepit, & Pythagoraeorum fuit ſtudioſiſſimus. Si recentioribus nonnullis, emunctaeque naris ſcriptoribus, inter quos Vernejus accenſendus, fides praeſtanda eſt, qui tot exantlatis laboribus, totque exaratis libris, ac tanta eruditionis copia Pythagoricum adorti ſunt illuſtrare Syſtema; haec ad verum magis videntur accedere. Et primo quidem inter Pythagoraeorum dogmata percelebre eſt illud, Anima quadam mundum eſſe animatum; quod Platoni, atque eius aſſeclis ferme omnibus arriſit, pluribuſque recentioris aevi philoſophis, praeſertim vero Cudwortho, Moro, Clarkio, Newtono, ut refert clariſſimus Genuenſis in ſua diſputatione Phyſico-Hiſtorica de Secta Italica. Hanc vero mundi animam Deum eſſe arbitrabantur, quem *Ignem Intellectualem* Pythagorici nuncuparunt, *Monadem* Pythagoras (1). Ex hoc autem Igne, ſeu Monade Deos, Daemonas, Heroas, humanaſque animas emanaſſe ſentiebat: quod ſi verum eſt, manifeſtarius fuit Pantheiſta. Hominis eſſentiam in ſola mente (2) poſuit, eamque

(1) *Ovid. lib.* 15. *Metam. hoc illi elogium intexuit*:
Mente Deos adiit, & quae natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

(2) *Triplicem mentis humanae ſtatum admittebat Pythagoras, infimum, ſupremum, ac medium.*
I. Mens in infimo verſatur, quouſque ſenſu utitur, & circa ſenſibilia occupatur.
II. In ſupremo, cum, quae ſunt Intelligibilia, *ab omni materiae concretione ſeiungit, & contemplatur.*

III.

que divinae eſſentiae particulam pronunciavit . Corpus vero , in quod mentem ipſam per vices illabi arbitrabatur , [unde Metempſycoſis Pythagorica derivavit] , pro mentis carcere habebat . Itaque in metaphyſico huiuſce Sectae ſyſtemate duo ſunt rerum principia : Ignis ſeu Monas , & craſſior materia : quae duo ex Chao orta eſſe affirmarunt Pythagoraei . Quod pertinet ad Phyſicam Pythagorae , Mundum , quem ipſe primus *Coſmon* vocavit , a Deo conditum ab aeterno , atque interiturum ſtatuit . Aſtronomicum vero ſyſtema Copernicano plerique ſimile fuiſſe cenſent (1) ; Solem enim in centro mundi , ſive ſyſtematis planetarii poſitum immobilem ; Tellurem circa ſolem circumagi putavit Pythagoras .

NOVA SECTAE IONICAE PERIODUS .

C A P. I V.

Cum novam ſcholae Ionicae periodum ordiri nobis ipſi propoſuerimus , eamque a Socrate repetere ; huic plane maximum Ionica philoſophia incrementum debet . Philoſophus iſte , atque adeo *Philoſophorum omnium fons* a Quinctiliano (2) , & a Cicerone (3) *Philoſophiae* pa-

III. In medio tandem , cum circa Geometriam , & Arithmeticam occupatur ; huiuſmodi enim ſcientiae neque ſenſibilia , neque pura intelligibilia contemplantur , ſed utraque coniungunt , & a ſenſibilibus ad intelligibilia humanam mentem conducunt .

(1) *Stanleyus de doctr. Pyth. c. 1. p. 745. ſeqq.*
(2) *Quinctil. l. 1. c. 10.* (3) *Cic. de Fin. II.*

parens appellatus, ortus eſt Athenis Olympiadis ſeptuageſimae ſeptimae anno quarto [1], patre Sophroniſco ſculptore. Archelao, cui ſuffectus eſt, ſe inſtituendum dedit, quo audito domi, foriſque cum amicis colloquebatur, eoſque variis interrogationibus confutare, ac meliores reddere curabat; nihil ſe ſcire, praeter hoc unum, quod nihil ſciret, profitebatur [2]; atque ex pluribus philoſophandi generibus, ut inquit Cicero, illo utebatur; quo ſuam ipſe ſententiam tegebat; errore alios levabat; & in omni quaeſtione quid eſſet veriſimillimum quaerebat [3]. Vetuſtiſſimae Academicae Sectae fuit Socrates inſti-

(1) *Ideſt anno mundi iuxta calculum Uſſerianum* 3536.

(2) Cic. *Tuſcul.* 5.

(3) *Philoſophandi ratio a Socrate obſervata eiuſmodi eſt. Perpetua uſus ironia hoc ſibi propoſuit, ut ex inductione accurata aliquid efficeret. Id ut facilius adſequeretur, ſibi nonniſi mentis tarditatem, & inſcitiam tribuebat; illi autem, quo cum diſputabat, ſummum ingenii acumen ac doctrinam. Tum eum interrogationibus fatigabat, atque ex aliis alia per neceſſariam concludendi rationem deducens ipſum cogebat, ut aliquod pronunciaret abſurdum, ex quo fieret perſpicuum, ea, unde illa inferebantur, eſſe falſa. Quod ſi adverſarius ſtomachabatur, Socrates humaniſſime reſpondebat, ſe paratum veritati adſentiri, modo eam intelligeret. Itaque nihil aut dubium, aut obſcurum in diſputatione relinquebat, ſed omnia ſibi dilucidari poſtulabat. Huiuſmodi arte Sophiſtarum ſui temporis audaciam, & ignorantiam detegebat, qui ſub verborum involucris nihil plerumque ſignificantibus magnam eruditionis ſpeciem populo obtrudebant. Verum Sophiſtae taciti haud tulere; nam atheiſmi, corruptaeque inventutis accuſatus, cicuta epota obiit.* Plat. in Apol. Socr.

inſtitutor, qui cum Phyſicas illas ſpeculationes, quibus Thales, eiuſque diſcipuli vacaverant, obſcuras, incertas, & parum utiles animadverteret, ſtolidoſque eos putaret, qui remota illa affectantes, humana negligebant; primus omnium philoſophiam fabulis larvatam, ac ſuperſtitioſis cultibus a Pythagora, & Empedocle inquinatam expurgare ſtuduit, a rebus occultis avocavit, & ad vitam communem traduxit; adeoque Philoſophiae Moralis inventio illi adiudicatur, cuius dogmata immortalibus ſcriptis egregie ſunt proſequuti duo Socraticae amoenitatis lumina [1] Plato, & Xenophon; quorum poſtremus [2], non in hac vita, ſed in futura finem bonorum conſtituiſſe Socratem in ſua Ethica, affirmavit. Praeclare ſentiebat Socrates de Deo rerum omnium Opifice [3], de Providentia divina [4], de Mentis immortalitate [5]: praeter tamen ſupremum Numen plures Deos admiſit; unde eum in Pantheiſmum eſſe prolapſum, manifeſto patet; ſicuti quoque cum mentem ipſam praeexiſtere [6], & in corpus veluti carcerem illabi putaverit, illum in Pythagorae caſtra ſeceſſiſſe exploratum eſt [7]. Cum vero ad provectam

(1) *Agell.* 14. *c.* 13.
(2) *Lib.* 3. *p.* 812.
(3) *Xenoph. lib. Memorab. Socr. p.* 725.
(4) *Idem p.* 711. *&* *lib.* 4. *p.* 800.
(5) *Plato in Phoedone p.* 245.
(6) *Plato in Phoedone p.* 72. *ſeq.*
(7) *Philoſophiae moralis inventio Socrati eſt tribuenda, ut Cicero teſtatur* Tuſcul. 5. c. 4. & de Fin. 11. *De virtutibus*

ctam aetatem perveniſſet Socrates, ab Anyto, & Melithone Atheiſmi, corruptaeque iuventutis accuſatus, capitis damnatus eſt; unde in carcere ſumta cicuta [1] interiit [2]. Hunc, quamvis conſtans ſit veterum opinio [3], nihil omnino ſcripſiſſe, eiuſque proinde Epiſtolae ab Allatio vulgatae anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo apocryphae videantur; plurimos tamen habuiſſe fertur, celeberrimoſque auditores [4], qui novas veluti familias condidere, Cyrenaicam nempe, Eliacam, Megaricam, Cynicam, Academicam.

Cyrenaicam Sectam inſtituit Ariſtippus Cyrenę Africae urbe natus, cui ſucceſſit Arete filia [5]; huic Ariſtip-

---

tibus, ac vitiis egregie diſputavit, ſed oeconomiam, & civilem prudentiam cum non habuiſſe ex Xenophontis Oeconomico, & *eiuſdem* Memorabilibus Socratis *liquido conſtat.*

(1) *Athenienſes cicutae ſucco iudicio damnatis mortem inferebant.*

(2) *S. Iuſtinus Martyr, pluresque alii Sancti Patres hunc celebrarunt Philoſophum, ac de illius ſalute aeterna non deſperarunt [ſi tamen ſaltem implicitam in Chriſtum mediatorem fidem habuiſſet]. Tota ſiquidem illius vita ad virtutem colendam, promovendamque conformata videbatur.*

(3) *Cic. 3. de Oratore, & Dio. Chrys.*

(4) *Xenophon Socratis diſcipulus nullam inſtituit Sectam, utpote qui conſcribendis hiſtoriis operam dedit.*

(5) *Ad ſeveriora ſapientiae ſtudia non modo viri convolarunt, ſed ipſae quoque mulieres uberrimam hanc gloriae partem ita fuerunt aemulatae, ut ceteras inter, quas LXV. ex ſingulis ferme Philoſophorum ſectis Menagius* Hiſt. Mul. Phil. *enume-*

ſtippus Aretes filius, & Antipater, quem Theodorus Atheus ſequutus, & multa innovans originem dedit ſectae Theodoriae [1], in qua ei Bion ſucceſſit [2]; itidemque Hegeſias [3], & Anniceris, qui ſectis Hegeſiacae, & Anniceriae [4] nomen dederunt [5].

Eli-

merat, Theano Pythagorae uxor Laert. lib. 8., *eorum filia Mya* Clem. ſtrom. 4., *aliaeque Pythagoricae quindecim* Jambly. Vita Pyth. lib. ult.; *Arete* Laert. 11., *quae Ariſtippum*; *Diotima* Plat. in Conviv., *& Aſpaſia* Clem. ſtrom. 4., *quae Socratem erudivit*; *praecipue vero Hipparchia Cratetis uxor* Laert. 6.; *& Hypatia Theonis filia* Socr. Hiſt. Eccl. 7. c. 15. *maxima ingenii laude floruerint*.

(1) *Theodoriani Atheiſmum liberrime profeſſi ſunt*. Laert. 2. 101. 102. 104.

(2) *Laert.* 4. 46. *ſeq.*

(3) *Hegeſias ſcripto libro* ἀποκαρτερῶν *voluntariam mortem adeo eloquenter commendavit, ut multi ſe ſponte in mare praecipites dederint*: *Cic. Tuſcul.* 1. 34. *Valer. Max.* 8. 9. *unde dictus eſt* πεισιθάνατος *ideſt* Mortis Orator.

(4) *Laert.* 2. 86.

(5) *Nihil poteſt ſectae Cyrenaicae doctrina deteſtabilius excogitari. Cyrenaici ſenſus ſtatuebant fallaces, quod quidem a vero aberrat; ſenſus enim falluntur numquam, ſed mens fallitur ipſa, ſi ſine diſquiſitione ſatis apta & ſubtili, quae percipit, praecipiti iudicio quodam, vera eſſe pronunciet*.

Hoc animi demum ratio diſcernere debet:
Nec poſſunt oculi naturam noſcere rerum;
Proinde animi vitium hoc oculis affingere noli.

ita Lucretius de Rer. Nat. lib. 3.

Quidquam certo percipi negabant, niſi voluptate, & dolore. In morali philoſophia, atque adeo moroſophia ſummam

Eliacam ſectam condidit Phoedo Elienſis nobili genere natus, qui Pliſtanum, ac Menedemum ſucceſſores habuit. Secta haec Socratem preſſius imitata eſſe Laertio videtur, cum illius exemplo ubivis de rebus philoſophicis diſputaſſet, unumque eſſe bonum cenſuiſſet, virtutem nempe, eamque unicam.

Megaricae ſectae ſchola Euclidi [1] Megarenſi ſuos debet natales. Mortuo enim Socrate eius magiſtro, ſcholam ipſe fundavit [2], eique ſucceſſerunt Eubulides, Alexinus, Euphantes, Dionyſius Carthaginienſis, aliique ab eodem Laertio recenſiti, Logicae praeſertim ſtudio vacabat Me-

---

mam hominis felicitatem conſtituebant in voluptate corporis, cuius facultates animi facultatibus praeferebant. Virtutem non alio nomine, quam quod voluptatem afferat, laudandam eſſe docebant; nihil eſſe natura ſua iuſtum, honeſtumve, nihilque iniuſtum, aut turpe exiſtimarunt.

(1) *Tam cupidus fuit Socratis auditor, ut edicto prohibitus ſtola ſe induerit muliebri, quo perſonato Athenas ſibi commeare liceret,* [*Gell.* Noct. Actic. 6. 10.] *& viginti millia paſſuum qualibet nocte peragrabat. Carus adeo Platoni Philoſophus, ut dialogum nobiliſſimum de animi immortalitate huius nomine inſcripſerit.*

(2) *Euclides a Socratica philoſophandi ratione diſſentiens, ut erat ingenio fervido, & acri, totum ſe ad artem diſceptandi, & contendendi contulit. Huius autem Logica in hoc ſita erat, ut adverſarium ſuum non contrariis argumentis confutaret, ſed ex illius dictis frequentes duceret concluſiones, quibus eum irretiret, opprimeretque: & eas adeo urgebat, ut* contentionis rabiem *Megaram invexiſſe diceretur.* Laert. lib. *6.* ſ. 107.

Megarica ſecta (1) , quae poſt Alexinum *Eriſtica* , ſeu contentioſa , poſt Dionyſium Carthaginienſem *Dialectica* vocari coepit ; non quod ipſa Dialecticam invenerit , ſed methodum dialogiſticam ad Philoſophorum contentiones adhibuerit . Unde Megarici philoſophorum pugnaciſſimi habiti ſunt ; ut Diogenes (2) ſcholam Megaricam *merum fel* eſſe pronuntiaverit .

Cynicorum ſecta ſuam agnoſcit originem ab Antiſthene (3) Athenienſi , qui Olympiade nonageſima quarta , ſeu quadringentos quatuor ante Chriſtum annos vivebat . Philoſophus hic totus ad ſeveritatem compoſitus ſuum vendidit patrimonium , ſuiſque civibus diſtribuit , & paupertatem amplexus eſt ; hinc abiecta utebatur tunica , duplicato pallio , pera , ac baculo ; quae deinde ſectae Cynicae inſignia fuere (4) . Cynici dicuntur illius ſe-

(1) *Megarica ſecta delectabatur maxime captionibus , atque fallaciis : nimirum ſeptem ſophiſmatum generibus exultabat Megarenſium Logica ; eaque erant* Mentiens , Occultum , Electra , Velatum , Sorites , Cornutum , Calvum. *Qui horum naturam , & leges ſcire exoptat , auctores adeat , quos memorat Bruckerus* Hiſt. Crit. Philoſ. vol. 1. p. 613.

(2) *Lib.* 2. *ſeg.* 30.

(3) *Antiſthenes iter quinque milliarium quotidie bis pedibus conficiebat , ut Socraticis ſermonibus intereſſet .*

(4) *Etenim cum depravatos Graecorum mores Theoreticis diſciplinis emendari non poſſe animadverteret , peculiarem excogitavit diſciplinam , qua eos non modo doctrinis , ſed etiam exemplo ad virtutem alliceret . Plurimis enim morbis infecta erat Graecorum gens , unde ſingulis medicamen adhibendum eſſe putavit .* I. Ita-

ſectatores, Heſychio teſte, a Cynoſarge gymnaſio, nimirum a *Candidi Canis* templo, ubi verſabatur Antiſthenes; quod quidem templum Herculi ſacrum ex oraculi reſponſo conſtruxerat Didymus quidam commotus, quod candidus canis victimam aris impoſitam ſuſtuliſſet. Sextus Empyricus tamen Cynicos fuiſſe nuncupatos a graeca voce κύνες nempe canes exiſtimavit a canina irridendi, mordendique licentia, qua ipſi in hominum vitia nullo diſcrimine invehebantur. Cynici Dialecticam, & Phyſicam reiiciebant, liberales artes, Geometriam praeſertim, atque Muſicam repudiabant (1), ſolamque excolebant Ethicam (2). Complures recenſet Antiſthenis ſectatores Ioannes

I. *Itaque ut ſe opponeret ſophiſtarum loquacitati, Logicam, Phyſicam, & Matheſim repudiavit, & ad Moralem excolendam animum adiecit.*

II. *Vitia capitalia debellanda eſſe autumavit pedum nuditate, paupertate voluntaria, iniuriarum tolerantia, morum integritate.*

III. *Statuum diſcrimen, quod apud Graecos ſingulares foverat opiniones, non alia certe ratione eludi poſſe cenſuit, niſi ſublato decore.*

IV. *Tyrannorum iuſſa pertinacia eſſe ſuperanda; interdum vero, ſi res ad reſtim rediret, morte voluntaria.*

V. *Leges civiles, extraſocialem vitam degendo.*

(1) *Unde Iuvenal. Sat. 12. v. 121.*

Et qui nec Cynicos, nec ſtoica dogmata legit:
A Cynicis tunica diſtantia....

ubi Scholiaſt. Cynici, & Stoici idem erant, excepto quod Cynici nudi philoſophabantur; quare & Gymnoſophiſtae vocati: Stoici vero veſtiti.

(2) *Finem ſibi ſtatuebant Cynici* Independentiam, *ſive, ut aiebant*, Libertatem.

nes Fabricius [1], inter quos ſupereminent Diogenes Sinopenſis *furens* ille *Socrates*, Monimus, Oneſicritus, Crates Thebanus, eiuſque uxor Hipparchia [2], Metrocles, Menippus, Menedemus, complureſque alii [3].

Ceteros Socratis auditores & regia generis nobilitate, & ingenii praeſtantia, & eloquentiae gloria ſuperavit Plato ille Athenienſis, qui Olympiade octogeſima octava ineunte ortum duxit. Hic cum octo annis Socratem, Cratilum deinde, Parmenidem, Hermogenem, Heraclitum, Euclidem, Pythagoricos, Aegyptios, Hebraeos, atque Perſas audiviſſet, ſectae Platonicae, ſive Academicae fuit Anteſignanus. Academiam enim inſtituit, in qua Speuſippus, Xenocrates Chalcedonius, Polemo Athenienſis, Crantor Solenſis, & Crates Athenienſis ſibi ordine ſuccedentes praefuerunt. Academia

(1) *Bib. Graec. 3. 13. p. 369.*

(2) *Hoc Epigramma Antipatris Graeci eſt a Grotio in latinum metrum translatum.*

Non ego faeminei mores Hipparchia ſexus,
  Sed mage ſum fortes corde ſequuta Canes.
Nec placuit pallam ſubſtringens fibula, nec pes
  Vinctus, & unguentis oblita vitta mihi.
Sed baculus, nudique pedes, quaeque artubus haeret
  Diplois, inque locum dura cubilis humus.
Moenaliae tantum potior mea vita puellae,
  Quanto venari, quam ſapuiſſe, minus.

(3) *Ab Antonini Philoſophi temporibus non magni amplius fiebant Cynici; nec tamen ideo defecit ſecta, ſed diutiſſime in Africa manſit. D. Auguſt. contra Acad. III. 18, & de Civit. Dei lib. 14. c. 20.*

mia (1) locus erat nemeroſus ab Athenis mille paſſus diſtans ab *Academo* Heroe, cuius erat locus ille, nomen ſortita. Duci etiam poteſt etymologia a voce graeca Ἄκος *Medela*, & Δῆμος *Populus*, quod ibi fuerit ſanandi animos officina: vel potius ab Ἑκὰς, & Δῆμος, ſcilicet *ſeorſum a populo*; & revera antea per E ſcribebatur, nimirum *Ecademia*. Plato (2), referente Apuleio,

(1) *In Academiae primum gymnaſio, (cuius liminibus inſcripſerat* : Nemo geometriae expers ingreditor) *ſcholam novam aperuit Plato; ac deinde in hortum* Coloneum *migravit. Laert.* 3. 5.

(2) *Plato, Laertio teſte, in his, quae ad intelligentiam pertinent, nempe in Metaphyſica Pythagoram; in his, quae ſenſibus obnoxia, nimirum in Phyſica Heraclitum; in Moralibus Socratem ſequutus eſt. De univerſo idem ſenſit, ac Socrates, tria ſtatuens principia* τὸν Θεὸν, τὴν ὕλην, ϗ τὴν Ἰδέαν. *ſcilicet* Deum, *ſeu* Mentem, Materiam, *&* Ideam. *Mens eſt quod Deum nominat. Materia prima rebus orientibus, & intereuntibus ſubiectum. Ideam vero dixit naturam corporis expertem in conceptionibus mentis, & imaginationibus Dei.*

I. *Deum definivit Ens aeternum, bonum, verum, ineffabile, incorporeum. Praeter Deum ſupremum mundi opificem, quem animi hominum auctorem fecit, Daemones etiam, & Deos iuniores finxit ex eo emanantes, quibus hominis formatio commiſſa fuerit. Corpus humanum animi, videlicet partis caeleſtis receptaculum putavit, & hanc ab aeterno praeextitiſſe, & immortalem eſſe eatenus, ut per diverſa corpora circumacta, & ita tamquam purgata ad Deum redeat.*

II. *Materiam, Laertii teſtimonio in vita Platonis, infinitam* po-

Dialecticam ab Euclide Megarico accepit; a Cratylo, & Parmenide Naturalis Philoſophiae praecepta, quibus alia adiunxit, quae a Pythagoricis didicerat; tum demum ab eodem Pythagora Metaphyſicam, Ethicam vero a Socrate, ex quibus omnibus ſuum efformavit philoſophicum ſyſtema, ac proinde Eclecticum philoſophandi genus ſectatus eſt. Philoſophiam ipſe definivit *ſolutionem animi a corpore, & converſionem quamdam ad ea, quae revera ſunt, ac mente conſpiciuntur*, ut ſunt *Deus, Ideae, Animus a corpore ſeiunctus*; eamque in tres partes diſtribuit, Phyſiologiam, Ethicam, Dialecticam. Poſt Cratetem Arceſilas Mediam invexit Academiam [1]; no-

poſuit, inordinate motam, figurarum expertem, ideſt nihil referentem in illa perturbata motione, neque aquam, neque terram, neque ullum aliud corporis genus; in ordinem tandem a Deo redactam, numeris decentibus, figuris, & menſura ita exornatam fuiſſe ait, ut ignis ſupremum, terra infimum, aer, & aqua locum intermedium occupaverint. Mundo addidit animam a Deo non factam, ſed aeternam, & Deum ſecundarium vocavit.

III. Ideam vero vocavit naturam corporis expertem in conceptionibus mentis, & imaginationibus Dei.

Quod ſpectat ad Philoſophiam moralem Platonis, ſciendum eſt, ſummam beatitatem ipſi pariter eſſe ὁμοιῶν τῷ θεῷ, *ad quam fugiendum eſſe quam citiſſime exiſtimavit. Quod ut fieret, virtutes commendabat, prudentiam [ad quam & Phyſicas virtutes, & bonum habitum ſenſuum referebat]; fortitudinem [ad quam corporis robur]; iuſtitiam [ad quam ſanitatem]; temperantiam [ad quam pulchritudinem.]*

(1) *Platonicorum ſucceſſio tripartita eſt; prima enim Academia*

novam tandem Carneades Cyrenaeus [1]. Veteris tamen Academiae ſplendorem reſtituere conati ſunt Philo Lariſſaeus, & Antiochus Aſcalonita; unde Euſebius ait: ſunt qui addant quartam Academiam Philonis, & qui etiam quintam Antiochi adiiciant. Platone, ac Speuſippo mortuis, ceteri Socratis ſucceſſores in Academia timidam illam philoſophandi methodum ablegantes, & dogmaticorum partes amplexi triplicem inſtituerunt ſectam, Peripateticam, Stoicam, Epicuream.

Peripateticam ſcholam Athenis aperuit Ariſtoteles Stagírites, quia Stagirae Thraciae urbe ſuos natales duxerat anno primo Olympiadis nonageſimae nonae. Platonis per annos viginti auditor fuit, deinde illi maxime infenſus, quod Plato ipſe in Academiae ſucceſſione Speu-

mia a Platone ad Cratetem; altera ab Arceſilao ad Egeſinum, tertia a Carneade ad Elitomachum porrigitur. In vetere floruerunt Speuſippus Platonis ex ſorore nepos, Xenocrates, Polemo, Crates, & Crantor. In media Arceſilas, Lacydes Cyrenaeus, Evander, Egeſinus. In nova Carneades, & Elitomachus, ſeu Haſdrubal Carthaginienſis.

(1) *Maximum inter has Academias divortium conſtituit doctrina de humanae cognitionis certitudine. Plato enim quum rerum alias ſenſibus, alias intellectu percipi noverit; hunc ſcientiam gignere docuit; illos vero, quippe hebetes, atque tardos, ſolius opinionis cauſſam eſſe pronunciavit.* Cic. Acad. qq. l. 1. c. 8. *Arceſilas autem nihil ſciri poſſe ſtatuit, quia ipſa rerum natura ſcientiam non admittat.* Idem Cic. ibidem lib. 1. c. 12. *Carneades tandem in rebus ipſis veritatem agnovit; at eam ab homine cognoſci poſſe negavit.* Idem ibidem l. 4. & Euſeb. Praep. Ev. l. 14. c. 8.

ſippum, & Xenocratem praetuliſſet [1]. Fuit pariter quinquennio Alexandri Macedonis praeceptor. Peripatetica a graeco verbo Περιπατέω, nempe *obambulo* dici coepit, quia per ſcholam Lycaeum appellatam deambulando doceret Ariſtoteles [2]. Hanc moriens Theophraſto reliquit, qui biſmille auditores habuiſſe fertur, quos inter maxime claruit Demetrius Phaleraeus, ille ſcilicet, cuius ſuaſu Ptolemaeus Philadelphus Rex Aegypti duobus ſupra ſeptuaginta viris ſapientiae, & linguae tum graecae, tum hebraicae peritia praeſtantiſſimis a ſe vocatis, atque in inſula Pharo magnifice exceptis, auctor fuit, ut omnes veteris Teſtamenti libri, quos Hebraeorum canon habebat, in graecam linguam verterentur: quae poſtea Verſio dicta fuit *Translatio Septuaginta*, & magnae apud omnes auctoritatis ſemper extitit. Cum autem Peripateticae philoſophiae compendia omnium ferme manibus verſentur; ſupervacaneum eſſe arbitramur, Ariſtotelis doctrinam, atque ſyſtema in medium proferre. Illud tantummodo notabimus, quod de huiuſce philoſophi operibus ſenſerunt Heineccius, atque Burnetius; quorum primus ridiculam eſſe eius Phyſicam, mediocrem Ethicam, Logicam accuratam, Politicam, Libellum de Arte Poetica, Rethoricam, atque fragmenta de Hiſtoria Philoſophorum,

&

(1) *Ex Aelian.* 3. 19.

(2) *A deambulando nominatur ſchola, quae ab Academica profluxiſſe dicitur, & Ariſtotelem Principem habuit, non Socratis, ut Ammonius, & Olympidorus ſcribunt, ſed Platonis diſcipulum.*

& de rebus publicis, ſua laude non eſſe defraudanda. Alter vero illius varios errores patefaciens, quos treſdecim numerat [1] in Phyſica, atque Metaphyſica Ariſtotelis, ita Philoſophum hunc ſalutat: Vale Stagirita; ſemper mihi eris malus Aſtronomus, Theologus peior, Phyſiologus peſſimus. Plurimum in Italia florebat Ciceronis aetate Peripatetica Schola. Verum cum Ariſtotelis opera innumeris eſſent mendis a barbaris gentibus inquinata, & cum veteres Eccleſiae Patres Ariſtotelica dogmata inſe-

(1) *Ariſtotelis errores a Burnetio notati ſunt ſequentes.*

I. Mundum aeternum ſtatuit ex utraque parte, ideſt ingenitum, & immortalem.

II. Caelos ſolidos, eodemque tempore in contrarias partes actos.

III. Materiam caelorum divinam, quinteſſentialem, immobilem.

IV. Fixas eſſe denſiores partes ſuorum orbium, & planetas lucidos ſua natura.

V. Lucem nec corpus eſſe, nec qualemcumque motum corporeum.

VI. Sub concavo Lunae ignem latere elementarem.

VII. Galaxiam eſſe meteorum, & cometas ultra mediam aeris regionem non evectos.

VIII. Terram haerere immobilem in centro univerſi.

IX. Surſum, & deorſum in natura fundari ſecundum rationes immutabiles.

X. Formas rerum animatarum eſſe ſubſtantiales, & qualitates, ſeu affectiones corporum ab eorum modis prorſus diſtingui.

XI. Senſationes fieri per ſpecies intentionales. Rarefactionem, & condenſationem fieri per incrementum, & decrementum extenſionis in materia.

XI. Providentiam infra Lunam non deſcendere.

XIII. Animam eſſe Entelechiam [vocem barbaram, & ambiguam] dubiaeque immortalitatis.

ſequuti , Platonica amplexi eſſent , ut ſacris Scripturis affiniora ; brevi languere coepit Ariſtotelis Philoſophia . Verum Italia domeſticis bellis diſcerpta ab exteris , barbariſque nationibus ad Peripateticae diſciplinae ſtudium debuit iterum excitari . Arabes enim ſaeculo nono ineunte Hiſpaniam ferro , flammaque invadentes (1) Ariſtotelis etiam doctrinam in ſcholis invexere , quae variis ſubinde commentariis ab Avicenna (2) , & Averroe (3) illuſtrata , ne dicam , an potius obſcurata , finitimam Galliam , Italiam , & univerſam tandem Europam feliciter occupavit ; tantoque ſtudio , atque animorum contentione excepta , & aucta fuit , ut Chriſtiani viros illos ſequuti ex Ariſtotelico , & Arabico ſyſtemate novum Philoſophiae Scholaſticae Chaos efformaverint (4) ; primuſque , qui *Scholaſtici* nomen obtinuerit , fuit Petrus Lombardus *Sententiarum Magiſter* nuncupatus . Hinc factum eſt , ut in tres veluti ſectas brevi tempore diviſa fuerit Ariſtotelica Philoſophia .

---

(1) *Contigit id anno Ch.* 712.

(2) *Ortus eſt anno* 990.

(3) *Ortus eſt anno* 1140. Commentator *antonomaſtice dictus ; quamvis , ut obſervat Ludovicus Vives* lib. 5. de diſcipl. *in Ariſtotele enarrando nihil minus explicet , quam eum ipſum , quem ſuſceperat declarandum .*

(4) *Multum Ariſtoteli nocuit ſtudium , quod medio aevo ei impenderunt Arabes , & Scholaſtici a renatis litteris Andreas Caeſalpinus , Piccolomineus , Berigardus , Caeſar Cremoninus , Pomponatius , aliique . Sicuti enim illi multis ſubtilitatibus inquinarunt doctrinam Ariſtotelis ; ita hi ad atheiſmum , aliaſque profanas doctrinas fuere procliviores .* Heinec. Elem. Hiſt. Phil. p. 1. c. 3. §. 74.

phia. Prima eſt Scotiſtarum, quorum auctor ſuit Ioannes Duns Scotus [1] natione, Inſtituto Minorita, *Doctor Subtilis* cognominatus. Secunda Thomiſtarum, quorum princeps Divus Thomas Aquinas [2] gente Neapolitanus, Profeſſione Dominicanus, *Doctor Angelicus* appellatus; qui Coloniam adiit, ut Albertum Magnum audiret, *Virum* a Xiſto Senenſi [3] *eruditionis admirandae* nuncupatum, *quem Divinarum rerum pauca, humanarum fortaſſe nulla latuerunt*. Tertia tandem Nominalium, qui voces, & nomina obiectum eſſe Logicae contendebant, eorumque dux Rucelinus, ſeu Guillelmus Ochamus fuit, Anglus natione, Scoti diſcipulus, eiuſdemque Ordinis; ac *Doctoris Invincibilis* nomine inſignitus.

Ad Stoicorum Scholam nobis modo accedentibus, ipſi originem habuere a Zenone Cittiaeo, qui primum Cratetis Cynici auditor fuit, deinde Stilponis Megarici, poſtea Xenocratis, & Diodori Croni, poſtremo Polemonis; atque Cynicae philoſophiae fuit emendator; unde Stoica a Cynica promanaſſe cenſetur [4]. Stoicorum nomen a graeca voce ϛοὰ derivat, quae Porticum ſignificat, Poecilem etiam dictam a varietate picturae [5]; Ποικίλος enim idem eſt ac *varius*. Complures Zeno ſectatores

(1) *Natus anno* 1274., *obiit an.* 1308.
(2) *Nat. an.* 1225., *ob. an.* 1274.
(3) *Lib.* 4. *Biblioth.*
(4) *Zeno emendata Philoſophia Cynica in* porticu *varia* Ποικίλη ϛοᾷ *philoſophiam docuit, originemque dedit Stoicorum Sectae* Laert. VII. 2. 3. 4. 6. 35.
(5) *Porticum hanc Polygnotus gratuito pinxiſſe fertur.*

res habuit, inter quos primas tenent Cleantes *Stoicorum Pater* a Cicerone [1] appellatus, Chryſippus, Zeno Tarſenſis, Diogenes Babylonius [2]. Stoicam Philoſophiam tripartitam exhibent Lipſius [3], & Scioppius [4], Rationalem nempe, Naturalem, ac Moralem [5]. Rationalem, ſeu Logicam, quam ad ſuperſtitionem uſque Stoici excolebant, ex Eriſticorum fontibus hauſerat Zeno. In Stoicorum Phyſica primum ab his de corpore agitur; hoc autem definitur: *quod vel facit aliquid, vel patitur*. Deinde ſermo habetur de Principiis, ex quibus duo ſtatuuntur, alterum *Agens*, nimirum Deus, alterum *Patiens*, ſcilicet Materia [6]. Quatuor ipſis ſunt elementa: Ignis [7], Aer [8], Terra, & Aqua [9]. Praeterea de Diis verba faciunt; ac demum de Loco, & Vacuo, quod in Mundo dari negabant, infinitum vero concipiebant extra mun-

---

(1) *Lib. 3. de Nat. Deor.*

(2) *Dici vix poteſt, quantum pretii huic ſectae ſtatuerint veteres non Graeci ſolum, ſed & Romanorum praeſtantiſſimi, praeſertim vero Iuriſconſulti, quorum plerique Stoicos ſectati ſunt.*

(3) Manuductio ad Philoſ. Stoicam, & Phyſiologia Stoica *inter Lipſii Opera habentur*.

(4) *Scioppius* Elementa Philoſophiae Stoicae *edidit*.

(5) *Laert. VII. 39. Plutarch. de Plac. phil. l. 1.*

(6) *Duo illa principia originem dediſſe corporibus aſſerebant.*

(7) *Ex igne sydera profecta eſſe putabant.*

(8) *De aeris regionibus, affectionibus, meteoris parum accurate philoſophantur.*

(9) *Ex Terrae, & Aquae mixtura mundum genitum adſtruebant.*

mundum ipſum. Deum autem *Primum Eſſe* docebant [1], eumque *Vivens immortale, ratione praeditum, perfectumque* definiebant [2]. Mundum tamen, ac Deum aperte confundunt [3], & utrumque Fato ſubiiciunt. Ethica tandem Stoicorum huc redit: ſolam Virtutem eſſe Bonum, ſolum Vitium malum, ceteras res, indifferentes. Animi perturbationes comprimendas eſſe; corpus duriter habendum; virtutem ſolam expetendam. Celebrantur autem potiſſimum Stoici, quod iuris naturalis principia, ſeu doctrinam de officiis erga Deum, erga ſeipſum, erga alios primi in ſcholis tradiderint [4].

DE SECTA ELEATICA.

CAP. V.

EXponendum modo ſupereſſet, quod ad Epicureorum Sectam pertinet; ſed cum ipſa ex Eleatica graecanica-

(1) *Cic. de Nat. Deor. II. 6. 16. 17.*

(2) *Laert. 7. 147.*

(3) *Cic. de Nat. Deor. II. 8. 14.*

(4) *Secta haec ad Caeſaris Dictatoris aetatem uſque cum honore pervenit, quo tempore Poſſidonius, & Mneſarcus Athenis, & Romae Stoicam Doctrinam publice docuerunt: Suidas in* Poſſidonio: *Ionſius* de Script. Hiſt. Philoſoph. lib. 2. cap. 13. *Sapientia, quam Stoici profitebantur, & virtus, cuius ſe ſacerdotes, Laertii teſtimonio* in procem. & in Zenon. *appellabant, umbratica tantum erat; unde Tacitus* lib. 14. c. 58. Annal. *maximam fuiſſe Stoicorum arrogantiam, eorumque ſectam turbidos, inflatos, & negotiorum appetentes effeciſſe narrat.*

carum ſectarum ultima iuxta diviſionem a nobis ſuperius traditam profluxerit, aeque ac Peripatetica Secta ex Academica, & Stoica ex Cynica; de Eleatica primum aliquid differemus, ſermonem poſtea habituri de Secta Epicurea. A Xenophane Colophonio [1] ſuum repetit exordium Eleatica Secta, quae a Parmenidis, Meliſſi, atque Zenonis patria, Elea nempe Magnae Graeciae urbe nomen obtinuit. Hi omnes Xenophanis auditores, ſucceſſoreſque fuerunt. Omnium tamen celeberrimi in hac ſchola habiti ſunt Leucippus, Heraclitus Epheſius, ac Democritus Abderita [2], qui, Tullio referente, Atomorum auctor fuit. Democritum quocumque fortunae eventu audito in riſum erupiſſe, unde *Gelaſinum* nuncupatum; vi-

(1) *Hunc Apollodorus apud Clementem Alexandrinum* Strom. lib. 1. *refert circa Olympiad.* 40. *natum; quamquam Diogenes Laert.* l. 9. Segm. 20. in Vit. Xenoph., *& Euſebius fortaſſe verius circa Olymp.* 60. *floruiſſe putant, & eodem omnino tempore, quo Pythagoras vixit, philoſophiae ſtudia coluiſſe. De huiuſce Sectae dogmatibus nihil certum poteſt pronunciari; quod praecipua eius ſcripta interciderint: nonnulla tamen collegit, & in lucem edidit Henricus Stephanus* in poeſ. phil. p. 35.

(2) *Democritus Abderita atomorum auctor eſſe fertur a Tullio* lib. 1. & 2. Acad. 1. fin.; *unde atomos, ideſt corpuſcula individua, & inane, prima eſſe docuit elementa, ex quibus cuncta fuerint conflata; utrumque tamen a Leucippo Democritus accepit. Atomos duabus praeditas eſſe affectionibus, figura ſcilicet, & magnitudine, exiſtimavit; atque motu oblique ferri in infinito inani, in quo nihil ſummum, nihil infimum, nihil extremum eſſe arbitratus eſt; quod Lucretius plurimis oſtendere contendit argumentis.*

viciſſim vero Heraclitum Epheſium in fletum, inter graecas fabulas cum Iuvenale referendum. Eiuſmodi ſectae ſeries in Anaxarcho defecit, Diogenis illius Smyrnaei auditore, quem temere Menagius cum Diogene Apolloniate confundit. Pyrrho [1] ſiquidem Anaxarchi auditor Pyrrhonicam ſectam inſtituit; & Epicurus [2], ubi Nauſiphanem Pyrrhonis diſcipulum auſcultaſſet [3], ſuam vel ipſe Sectam, de qua nunc differendum, excitavit.

DE

(1) *Natus eſt Pyrrho in Elide Peloponneſi regione Olymp.* 101. *ineunte, ſectamque excitavit, quam Scepticam, ſeu* dubitantem *dixit. Hic cum Anaxarcho ad Indos profectus Brachmanes audivit; & Gymnoſophiſtas, a quibus dubitandi rationem didicit. Laertius vero* lib. 9. ſeg. 58. *ſcribit, eum humanorum actuum honeſtatem, ac turpitudinem minime admiſiſſe; nec ullum licet praeſentiſſimum vitae periculum declinaſſe, quod de rebus omnibus dubitaret.*

(2) *Ortus eſt Epicurus apud Galgettium provinciae Atticae urbem tertio Olympiadis* 109. *anno, patre Neocle, matre Chereſtrata. Hic Leucippi atomis in diſciplinam adſumtis ita ſe extulit, ut ſcripſerit Tullius* lib. 2. de Fin., *Graeciam, Italiam, omnemque Barbariam fuiſſe ab illo commotam. Ipſum Stoici conviciis ſunt inſectati, quaſi reſpuiſſet Dei Providentiam, & voluptatibus addictus omnem virtutis laudem ſuſtuliſſet.*

(3) *Verum Cicero* lib. 1. de Nat. Deor., *Plutarchus, & Empyricus* lib. 1. Adv. Math. *narrant, gloriari ſolitum Epicurum, quod nullos audierit, ſed ſine magiſtris plurimum in philoſophiae ſtudiis profecerit: quod Atheus nobili epigrammate confirmat.*

DE SECTA EPICUREA.

CAP. VI.

ATomiſticam, ſeu Corpuſcularem Democriti doctrinam omnium primus amplexus eſt Epicurus Athenienſis Olympiade centeſima nona, vel trecentis quadraginta duobus annis ante Chriſtum natus; unde Tullius ait (1): *Democritus vir magnus in primis, cuius fontibus* Epicurus *hortulos ſuos irrigavit*; ſcholam enim in horto peramoeno a ſe emto fundavit, ibique communem, & auſteram cum amicis vitam agebat (2). Tum voce, tum ſcriptis editis ſuos erudivit, Hermachum, Polyſtratum, Dionyſium, Baſilidem, alioſque multos, quorum elenchum contexuit Fabricius (3). Epicuri Philoſophia (4) in Rationalem, quam & *Canonicam* vocavit Epicurus, in Phyſicam, atque Ethicam a Laertio diſpeſcitur (5). Ratio-

(1) *Lib. 1. de Nat. Deor.*

(2) *Hinc eius horti foribus ſcriptum legebatur:* Te Polenta excipiet [*nempe hortus*] & aquam large adminiſtrabit.

(3) *Bib. Graec.* 3. 33. *pag.* 808.

(4) *Philoſophus iſte cum Stoicorum, Platonicorum, Pythagoraeorum, Ariſtotelicorum infirmis hypotheſibus, & canoris ſophiſtarum nugis tempus terere nollet; clariorem philoſophandi viam inquiſivit, partim ex Ionicorum, partim ex Democriti, ac Metrodori ſcriptis.*

(5) *Philoſophiam eſſe rectae rationis uſum, qui vitam beatam pariat,*

tionalis de rebus, ac vocibus doctrinam complectitur; adeoque ad duo capita revocatur. In primo leges praeſcribit rite percipiendi, & quid ſenſus faciant, quid mens, quid voluntas, & quomodo illarum ope verum explorare poſſimus, oſtendit [1]. In ſecundo rationem tradit recte utendi vocibus, perſpicuas vulgataſque uſurpandi, ne aut loquendo, aut diſputando, aut interpretando tempus fruſtra teratur; uno verbo dicam, Logicam pertractavit Epicurus, quae dialecticorum, ac ſophiſtarum fallacias exponeret, & confutaret. Univerſum, quod tamquam infinitum, & immobile, quia extra illud nullum eſſe locum, in quo moveri poſſet, exiſtimavit; quemadmodum etiam immutabile, quippe quod ab aeterno tale fuerit; univerſum, inquam, nomine ſyſtematis ex corpore, & va-

riat, Epicurus exiſtimavit. Hinc Ethicam praecipuam Philoſophiae partem putabat. Deinde Phyſicam, propterea quod ipſa eiuſmodi principia ſuppeditat, ex quibus Ethica poteſt illuſtrari. Quo vero utramque facilius adſequamur, praeparatio quaedam eſt neceſſaria, quam ipſe vocat Canonicam, *ſeu Logicam.*

(1) *In Rationali tria ſtatuit idem Epicurus veritatis criteria:* I. Senſionem, quam numquam fallere docuit; II. Anticipationem, quam rei notionem, ſeu definitionem eſſe cenſuit. III. Paſſionem, de qua hoſce proponebat canones,

I. Animi voluptatem, quae nullam habet moleſtiam annexam, amplectendam.

II. Moleſtiam, quae ſine voluptate ſit, fugiendam.

III. Minorem tamen voluptatem propter maiorem negligendam:

IV. Minorem moleſtiam ad avertendam maiorem amplectendam eſſe.

vacuo compoſiti deſignabat. Corpus definiebat, *quod tangi poteſt, & tangere*; vacuum vero, *quod natura ſua tangi nequit*. Cum autem in rerum natura multa quotidie generentur; atomos tamquam prima corporum omnium elementa concipiebat, eaſque non ſolum figura, & magnitudine, ut putabat Democritus, ſed pondere etiam inter ſe differre; duplicemque motum, Reflexionis ſcilicet, & Gravitatis habere affirmabat; ex quarum concretione omnia generari, diſſolutione corrumpi, atque ex earum affectionibus rerum naturalium phaenomena derivari (1). In Ethica tandem *finem* omnis vitae in *felicitate* repoſitum putavit; felicitatem in *animi voluptate*, hanc in *indolentia*, ut aiebat, animique tranquillitate, quam quidem temperantia, aliiſque virtutibus comparari tradebat (2). Verum maxima ad virtutem incitamenta ipſum

(1) *Lucretius* 1. *v.* 1020. *ſeqq.*

(2) *Philoſophicum Epicuri Syſtema directo repugnare Syſtemati Zenonis, nemo non videt, aliud cum alio conferens: quod ſecundum Gaſſendum, alioſque monet Bruckerus* de Secta Epicurea p. 1253. *Zeno ſiquidem ſubtriſtis erat, & difficilis naturae, & invidus, & qui humano generi perſona gravitatis, ac exquiſitae philoſophiae nomine imponere cupiebat: contra vero Epicurus hilaris, humanus, & qui plane amabat philoſophari, fructumque aliquem ex philoſophia reportare exoptabat. Hinc factum eſt, ut tanto in eum odio exarſerit Zeno, ceterique Stoici; ut eum inhumane prorſus conciderint; illius verba in deteriorem ſenſum detorſerint; plurimam fallaciam addiderint, ut homini incredibilem conflarent invidiam. Quibus cum viciſſim Epicurus fortiter reſiſteret, ſophiſtarumque fallacias detegeret, ineptiaſ-*

ipſum ſuſtuliſſe exploratum eſt ; nam & mentis immortalitatem , & Dei providentiam , ipſumque Supremi Numinis metum e ſua philoſophia penitus proſcripſit (1) .

DE PHILOSOPHIS ECLECTICIS .

C A P. VII.

HActenus de iis Philoſophis , qui certae cuiuſdam Sectae principes , & inſtitutores fuerunt . Nunc aliquid de iis addendum remanet , qui in nullius verba Magiſtri iurare auſi , Eclecticae Philoſophiae toto ſe ſtudio dedidere . Hic autem notandum eſt , quod licet Pythagoras , Socrates , Plato , Zeno , Democritus , Epicurus , quin etiam Ariſtoteles ipſe certae cuidam Sectae nomen dederint ; Eclectici tamen dicendi

ſunt

priaſque , & perſonam virtutis , quibus vitia nimis multa tegebant , omnium oculis exponeret ; implacabile diſſidium inter utroſque exarſit , magno cum nominis Epicuri detrimento .

(1) *Epicurus in Ethica plurima quidem falſa , & noxia prorſus conſcripſit , quae iuri naturae , ac Religioni noſtrae adverſantur , quaeque a viro Catholico ſtudioſe vitari debent , & profligari : verum quaedam occurrunt , quae commode cogitata videntur ; tum multo clarius ſcripſit , quam vel Plato , vel Ariſtoteles fecere . Itaque , inquit Verneius , ſi Ethicam , & errores alios excipiamus , dicendum videtur , ex Gentilibus plus Epicurum profuiſſe Philoſophiae , quam ceteros .* Vern. in Appar. ad Phil. & Theol. P. 1. lib. 3. c. 1.

ſunt [1] : in comperto enim eſt, Pythagoram , ceteroſque memoratos Philoſophos tot longa itinera ſuſcepiſſe , multaſque urbes peragraſſe , ut quod ſcitu dignum eſſet , & quod ad verum magis accedere videretur , undique conquirerent , & aſſequerentur . Primas tenet inter Eclecticos philoſophos , ac de philoſophia praeclare meritus eſſe cenſetur , ut Fabricius teſtatur [2], Potamo gente Aegyptius , domo Alexandrinus , cuius aetas prorſus ignoratur [3], quique Academicos veteres imitatus de ſingulis ſectis , ut inquit Laertius [4] , quae ſibi placuere , ſelegit , Electivam Sectam inſtituit , ac prima Philoſophiae Elementa cum Commentario in nonnulla Platonis opera reliquiſſe narratur [5] . Quamquam huiuſce philoſophi ſectatores inquirere abſonum eſt (non enim eſſent Eclectici) ; eius tamen methodum ſecutos eſſe Alexandrinos praeſer-

(1) *Non ergo ipſi Sectas inſtituerunt , paucis exceptis , ſed diſcipuli ; neſas putantes doctorum ſuorum opiniones deſerere , ut ipſe quoque ſenſit Ariſtoteles* lib. 1. Ethic. c. 4.

(2) *Bib. Graec.* lib. 3. 33. p. 824.

(3) *Magna lis eſt inter Eruditos de Potamonis aetate , Olearius* Diſſert. de Secta Eclectica *eum ſaeculo III. ponit . Alii cum Suida Auguſti tempore . Videatur Voſſius* de Sectis Philoſ. c. 21. *Incerta omnia eſſe conficit Stanleyus* de Secta Eclectica c. 1.

(4) *In prooem.* 21.

(5) *Scripſit Potamo* Inſtitutiones Eclecticas, *quae non amplius extant . Quae autem ex iis refert Laertius* Φιλοσοφέυμενα , *ad illud revocantur , ut in Rationali , ac Morali Philoſophia Platonicos , Stoicos , Ariſtotelicos in concordiam adduceret ; atque ex ſingulorum opinionibus ſingulare ſyſtema compingeret .*

ſertim philoſophos, eorumque diſcipulos Chriſtianos, ae, que ac Paganos exploratum eſt [1]. Praecipui inter Paganos, qui Eclecticae illi philoſophiae operam dederint, ſunt Dionyſius Longinus Philologus, & Philoſophus praeſtantiſſimus, Origenes diverſus ab Origene Adamantio Chriſtiano, Plotinus [2] Ammonii Chriſtiani diſcipulus, Herennius, Porphyrius Syrus *rabidus ille adverſus Chriſtum canis* [3], & *divinus ille, ac magnus philoſophus* [4] Iamblychus Plotini auditor; qui omnes tertio ſaeculo vivebant, aliique complures ab Oleario recenſiti in ſuo opere de Philoſophis Eclecticis [5]. Inter Chriſtianos vero Eclecticam philoſophiam coluerunt poſt Ammonium Saccam Clemens Alexandrinus, Origenes Adamantius, & Divus Gregorius Thaumaturgus Origenis diſcipulus, qui omnes non alia certe de cauſſa illam adamarunt [6], *niſi ut veritatem, quae in una ſecta reperiri non poterat, ex*

 plu-

---

(1) *Gotofr. Olear.* de Philoſ. Eclect. cap. 1. p. 1205.

(2) *Huius vitam ſcripſit Porphyrius diſcipulus, Plotini operibus praefixam. Confer Fabricium Bibl.* lib. 5. c. 4. p. 88. *Ammonii diſciplinam propagavit Plotinus, recentiorumque Platonicorum, ſeu* Eclecticorum Parens *nominatur; nam & Romae hanc docuit Philippo imperante, & per diſcipulos ad uſque Graeciam, & Aſiam, atque Africam tranſmiſit.*

(3) *D. Hieronym.* in proœm. Catal. Script. Eccl. *Origenis Adamantii primum, poſt Longini, & Plotini Auditor, vir litteratiſſimus, ſed Chriſtiani nominis hoſtis infenſus.*

(4) *Bruckerus de* Secta Eclectica p. 357. ſeqq.

(5) *Cap.* 3. *p.* 1209. *& ſeqq.*

(6) *Lact.* 7. c. 7. & lib. 11. c. 8.

pluribus derivarent [1]. In Dialecticis Ariſtotelem praeſertim ſectabantur Eclectici, quamvis abſtruſiora nonnulla addiderint ex Pythagora. In Metaphyſicis Aegyptios, Orientales, Platonicos, Pythagoraeoſque imitabantur. De Phyſica parum erant ſoliciti, eamque cum ſua Theologia confundebant.

DE NOVA PHILOSOPHIA.

C A P. VIII.

UNus erat in Occidente Philoſophiae adſpectus; nihil aliud privatae, publicaeque ſcholae ante annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum tertium crepabant, quam Ariſtotelis doctrinam. Cum autem hoc eodem anno Byzantium Imperii Graeci ſedem, atque Orientis caput Turcae occupaſſent; immanem barbariem, tyrannidemque veriti Graeci plerique, magna copia per amoeniſſimas Italiae oras effuſi, Florentiae praeſertim a Medicea Familia [2], ac Romae a Nicolao V. [4] Pon-

(1) *Finem fecit ſchola Eclectica ſaeculo VI. mediante, cum Iuſtinianus Caeſar Philoſophis Paganis publicis ſcholis interdixit Athenis; qui proinde ad Perſas, & Orientem ſe receperunt. Eclecticorum ſeriem refert Damaſcius vel ipſe Eclecticus, qui poſtremus fuit Athenis Profeſſor, Iuſtiniano imperante. Legatur Ionſius de* Script. Hiſt. Philoſ.

(2) *Varchius* Hiſt. Flor. *Angelus Politianus* Epiſt. 50. 4. p. 133.

(3) *Aegidius Cardin. Viterbienſis apud Natal. Alexandr.* Hiſt. Eccl. Saec. XV. p. m. 13. *Beſſario Cardin.* Praef. Verſ. Metaph. Ariſt.

Pontifice benigne excepti ſuerunt. Hinc factum eſt, ut Itali, quibus Manuel Chryſolora Byzantius ſaeculo decimo quarto inclinante graecas literas tradere aggreſſus erat, magis, magiſque humaniores literas purgare, reſtituere, eorumque ingenia excitari coeperint; coeptum & Ariſtotelis, & Averroiſtarum iugum excuti, adeoque aut Platonica, ceteraque veterum Philoſophorum placita reſtituta, aut nova excogitata fuere. Etenim Petrus Ramus Gallus [1] *Peripateticorum furias*, Voſſii verba ſunt, *non te-*

le-

(1) *Fuit is literis Graecis, & Latinis, ac Mathematicis diſciplinis egregie eruditus: qui cum diuturna veterum lectione intelligeret, Ariſtotelicam Logicam ad eloquentiam, & uſum vitae haud eſſe accommodatam; aliam diſputandi artem tradere conſtituit. Primum itaque homo triginta annos natus Ariſtotelis vitia notavit, libro inſcripto:* Ariſtotelicae Animadverſiones. *Deinde ſuam ipſe artem divulgavit in libro, cuius titulus* Inſtitutiones Dialecticae. *Quam male Pariſienſes, qui in* Organo *Ariſtotelis conſenſerant, hanc paſſi fuerint cenſuram, credi vix poteſt. Ad Praetoris tribunal tamquam reus Maieſtatis Ramus traducitur an. 1543.; publicae inſtituuntur coram Iudicibus diſputationes; tota Academia rixis, & contentionibus perſonabat, nihilque aliud in diſputatione verſabatur, quam dialecticae definitio, & partitio, & huius farinae alia: ſtabant pro Ramo iudices nonnulli; ſed alii tam illi erant infenſi, ut potentiae, & audaciae cedere ipſe cogeretur omnino. Et quamvis Caroli Cardinalis Lotharingici favore fuerit poſtea Regis Profeſſoris nomine decoratus; tam alte Ariſtotelicorum animis vulnus erat infixum, ut eum vix reliquo vitae tempore quieſcere permiſerint. Tandem in Pariſienſium civili bello an. 1572. a Carpentarii diſcipulis occiſus eſt, eoque crudelita-*

tis

ſerans , primum in ipſos , mox in ipſum Ariſtotelem acriter invectus eſt , & adverſariorum calumniis divexatus longius proceſſit , novamque Sectam de ſuo nomine [plurimos in Gallia , Anglia , Germania nactus ſectatores] inſtituit [1] *, quae Ramiſtica fuit appellata* . Ingens huius viri fama eſt , ingensque doctrina , ſed nimium aeſtuans oratio . Non pauci recenſentur Philoſophi , qui eumdem vel principem ſequi , vel ducem imitari gloriati ſunt , inter quos Franciſcus Buddeus , Ludovicus Vives [2] , Laurentius Valla [3] ; in quorum primo Ingenium , in ſecundo Iudicium excelluit , qui omnium ſuae aetatis rigidiſſimus , atque acutiſſimus fuit Criticus ; tertius vero mordacitate ,

---

tis devenere , ut miſeri Philoſophi cadaver indigne tractaverint , per plateas raptarint , & in Sequanam abiecerint . Hiſtoriam Rami calamitatum fuſe enarrat teſtis oculatus Talaeus Theol. Pariſ. in Dedic. Academiae ad Carolum Card. Lotharingicum .

(1) *Oppoſuerunt ſe plurimi Ramo , praecipue Lutetiae Ioachim Perionius ; Tubingae Iacobus Schellius ; e Theologis Beza , & Urſinus , tria potiſſimum illi obiiciuntur* ἀμεθοδία , ἀντιλογία , ψευδολογία .

(2) *Mariam Reginam Henrici VIII. filiam literas docuit , & maluit carcerem ad ſex menſes perpeti , quam repudio Regis aſſentiri .*

(3) *Mordax , & acer in omnes Laurentius , qui nec Deo pepercit , nec Virgini , tum de Trinitate , de libero arbitrio , & puritate non , ut Catholicum decet , catholice ſentiebat ; unde exul Roma , Neapolim petiit , ubi impietatis accuſatus , Alphonſi Regis patrocinio , evitavit capitis ſententiam , quam in eum tulit Sacrum Inquiſitionis Tribunal ; ut propterea ſupremum diem Romae obierit an.* 1465. *aetatis ſuae* 50.

te, & acrimonia in omnes apprime notuit. His omnibus adiungendi etiam ſunt Marius Nizolius, Hadrianus Cardinalis, Franciſcus Patricius [1], qui Gregorium XIV. cohortatus eſt, ut Ariſtotelicam doctrinam proſcriberet, eique Platonicam ſubſtitueret. Singuli iſti, aliique [2] ma-

(1) *Franciſcus Patricius Illyricus, qui & Ferrariae, & Romae magna cum omnium approbatione docuit: homo vaſtiſſimae lectionis, & limati iudicii, ac in veteri philoſophia maxime eruditus. Hic in libro* Diſcuſſionum Peripateticarum *Ariſtotelicae philoſophiae hiſtoriam ſu*[illegible]*, eleganterque exponens, Ariſtotelis errores non modo l*[illegible]*s, quod fecerat Ramus, ſed etiam phyſicos plane demo*[illegible]*vit; diligenterque notavit, quidnam ab aliis philoſophis acceperit Ariſtoteles, & pro ſuis venditarit. Deinde in ſuo* Ariſtotele Exoterico *XLIII. capita percenſet, in quibus Plato cum catholica doctrina conſentit, Ariſtoteles vero ab ea diſſentit. Demum tanto in Platonem ipſum amore, tantoque in Stagyritam odio Patricius exarſit, ut* Novam de Univerſis Philoſophiam *ediderit, & Gregorio XIV. P. M. nuncuparit, ut Ariſtotelicam Philoſophiam veluti impiam proſcriberet, & illi ſubrogaret Platonicam. Verum Inquiſitorum cenſuram incurrit auctor, adeoque & philoſophia eius parum ſe probavit.*

(2) *Inter hos accenſendi Guillelmus Poſtellus, qui Iuſtini Martyris* Everſionem Dogmatum Ariſtotelicorum *latine vertit, & Carolo Card. Lotharingico dicavit; in cuius Praefatione tam acriter Stagyritam reprehendit, ut nihil Patricio concedat: Franciſcus Sanchezius homo Luſitanus Bracarenſis, qui licet Peripatetica dogmata confutaverit, Dogmaticam etiam Philoſophiam tamquam ineptam ſugillavit libro, quem inſcripſit:* De multum nobili, & prima Univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur; *in quo oſtendere co-na-*

magni nominis viri, quos brevitatis ergo praeterimus, Ariſtotelem de throno deturbare contenderunt; ſed parum ad rei ſummam profecere. Nec magis Philoſophiae conſuluerunt, qui ex veteribus ſectis nonnullas exſuſcitare conati ſunt. Etenim licet Ioannes Picus Mirandulanus [1] *Pythagoricam*; Beſſarion Cardinalis, & Marſilius Ficinus [2] *Platonicam*; *Stoicam* vero Iuſtus Lipſius [3]; Bernardinus Teleſius [4] *Parmenidis Eleatae* Philoſophiam in-

---

natus eſt, incerta eſſe omnia, quae de ſcientiis traduntur: unde recentiorum Scepticorum Pater habetur, eique ſaeculo XVII. morem geſſerunt Petrus Baelius vir damnatae memoriae, aliique male feriati homines omnis veritatis, ac Religionis oſores.

(1) *Huc pertinent Io. Pici Mirandulani* Theſes *ſeu* Concluſiones XC. *Romae propoſitae, in quibus tamen Pythagoricam cum Cabbaliſtica philoſophia copulavit; quod & fecerunt Reuchlinus, & Henr. Morus. Vid. Budd.* Hiſt. philoſ. Hebr. p. 116.

(2) *Maximum fuit Beſſarionis Card. Gente Graeci, ac Marſilii Ficini pro Platone ſtudium. Et forte in ſcholas pro Ariſtotelica philoſophia recepta fuiſſet* Platonica, *niſi Clementem Papam VIII. monuiſſet Card. Rob. Bellarminus, eo magis cavendam eſſe philoſophiam Platonicam, quo propius ad Theologiae Chriſtianae placita accedere videretur. Launoius* de Var. Ariſt. fort. c. 17.

(3) *Iuſtus Lipſius Belga Criticus, & Philologus praeſtantiſſimus Phyſiologiam, atque Ethicam adornavit; quod magnam ipſi peperit laudem.*

(4) *Nullus profecto maiorem attulit cladem Ariſtotelicae philoſophiae, quam Teleſius Conſentinus in Neapolitano Regno, homo veteris litteraturae, Matheſeos callentiſſimus; qui cum Stagyritae Phyſicam expenderet, & inutilem eſſe ad*

inſtaurare ſtuduerint; ipſorum tamen labor irritus ferme fuit, omneſque plauſum non adeo magnum retulere.

Rudis tamen, & inconcinna adhuc erat Philoſophiae facies, quamvis a tot tantiſque viris exornata; cum ineunte ſaeculo XVII. nova lux Philoſophiae orta eſt, (1) praeſertim vero in ſcientia naturali. *Exemplum omnibus praebuit*, ut inquit Buddeus, *Baco* (2) *de Verulamio, qui, ut miſſis illis abſtractis, & otioſis ſpeculationibus ad particularia deſcenderent, experimentaque inſtituendo, naturam rerum accuratius contemplarentur, omnibus auctor fuit. Huius ductum cum multi ſequerentur, dici non poteſt, quanta ad accuratiorem Philoſophiam facta ſit acceſſio*. Hactenus Buddeus. Opportune hic accidit memorare virum, Hugonis Grotii iudicio (3),

 in

ad naturae myſteria rimanda cognoſceret; Parmenidis phyſicam inſtauravit, editis libris de Rerum Natura Romae an. 1565.

(1) *Claſſicum tandem belli philoſophici cecinere eodem tempore Philoſophi quidam illuſtres: in Italia Galilaeus; in Germania Sennertus, & Keplerus; in Anglia Verulamius; in Galliis Baſſonus. Duo autem praeter cetera ad philoſophiae inſtaurationem conſentiebant: Mathematicarum diſciplinarum, & Medicinae, ſeu Phyſicae Experimentalis cultura.*

(2) *Franciſcus Baco Anglus Verulamius Baro, Vicecomes S. Albani philoſophiam omnium maxime liberam, & Eclecticam perpolivit, qua & viam ſtravit, ut in ſingulis diſciplinis recte cogitaremus; & ſcriptis ſuis oſtendit, quomodo in Phyſica, ceteriſque philoſophiae partibus ratiocinandum; unde magnam apud viros doctos gloriam ſibi comparavit.*

(3) In Epiſt. ad Voſſ.

Digitized by Google

in omni Mathematum parte ſummum, *in philoſophia cetera non infimum*, *Galilaeum Galilaei Florentinum*, cui iure ac merito aptari poteſt illud, de quo Ariſtoteles nimium ſibi fortaſſe plaudens gloriabatur, *ſuo nimirum ingenio Philoſophiam perfectam*, *abſolutamque fuiſſe* (1), cum inter celeberrimos ſui aevi philoſophos unus Galilaeus omnium ſubtiliſſimi ingenii eſſe dicatur, qui pro virili parte res phyſicas mathematicis rationibus, atque experimentis ponderare conatus eſt; & in naturam motus ſupra ceteros longe penetravit. Plurima quidem ſunt, quae vel ipſe detexit, vel ab aliis inventa perfecit. Copernicanum Syſtema de motu telluris circa Coeli orbes nullo agitatos motu, compluribus ornare, & confirmare ſtuduit argumentis in ſuis de Mundi ſyſtemate Dialogis. Theleſcopii Aſtronomici inventionem eidem vindicat Ianus Nicius Eritraeus, cuius ope & circumioviales Satellites, & maculas ſolares deprehendit; licet Georgius Paſchius maculas ſolares Chriſtophoro Scheinero e Societate Ieſu philoſopho detectas falſo tribuat. Iſtis Neotericae philoſophiae parentibus accenſeantur quoque Guillelmus Gilbertus, Alphonſus Borellius, Robertus Boyle, & ſinguli Parraultii Fratres (2).

Quamvis in Gallia Petrus Ramus Ariſtotelica dogmata ita impugnaverit, ut nihil omnino, quod Ariſtoteles ſcripſit, verum eſſe ſuis Theſibus demonſtrarit;

ma-

(1) *Cic. Tuſcul.* 3. *c.* 28.

(2) *Petrus*, *Nicolaus*, *&* *Carolus ſinguli ex Claudio Perraultio orti*, *Phyſicis*, *&* *Mechanicis editis Operibus praeclari*.

maiore tamen impetu in Gallia ipſa Petrus Gaſſendus Sacerdos Gallicanus [1] in Ariſtotelis ſectatores ita excanduit, ut unanimi omnium conſenſu fuerit iudicatum, plus damni Ariſtotelicae philoſophiae attuliſſe iuvenem viginti quatuor annos natum, quam ſaecula omnia anteacta. Huiuſce philoſophi Exercitationes Paradoxae adverſus Ariſtotelicos in Tomo III. eius Operum occurrunt; iſque primus inter recentiores Epicuream Sectam, ut ſuperius innuimus, renovavit. Hanc, quae ducentos triginta ſeptem annos continuata ſerie per quatuordecim Praeceptores ab eius origine ad Auguſti uſque tempora floruerat, iam extinctam nedum excitavit; ſed erroribus, quibus ſcatebat, caſtigavit, ornavit, amplificavitque eruditione adeo ſingulari; tam elaborata ſcriptione, tantaque

in

(1) *Ortus eſt* 12. *Ian.* 1592.: *obiit* 12. *Octob.* 1655. *aetatis ſuae* 63. *Secta Epicurea, quam ipſe inſtauravit;* 237. *annorum ſpatio continuata ſerie per XIV. Magiſtros ab illius origine ad Auguſti uſque tempora duravit, ac floruit; ut narrat Themiſt.* Orat. 4., *Senec.* epiſt. 33.; *Suidas, Euſebius; Gaſſendus ipſe* in vita Epicuri. *Illuſtres viros, ac Principes caros babuit, Perieſchium, Campinios, Luillerium, Chriſtinam Sereniſſimam Sveciae Reginam, Petrum Seguietum, & Henricum Ludovicum Habertum de Montmor, qui nedum viventem Gaſſendum in deliciis babuit, & domi excepit; ſed etiam mortuum Maiorum ſuorum Sepulcro inferri voluit, & magnifico marmoreo tumulo parentavit. Gaſſendus amicum quoque babuit Thomam Hobbeſium, quem utinam, ſicuti Epicureae ſectae Philoſophum in Hobbeſio intuemur, Gaſſendi pariter in moribus addictiſſimum, nec inſano faſtu turgidum admirari poſſemus!*

in retundendis adverſariorum calumniis dexteritate, ac modeſtia; ut ab Allatio, Launoio, atque Voſſio ita celebrari debuerit: *in tota vetuſtate nullus reperitur philoſophus, qui ſex ampla volumina tam nervoſe conſcripſerit*. Nullos, praeter Lambertum Balthuyſium, habuit ſectatores; adverſarios vero plurimos, ac cenſores nactus eſt rigidiſſimos Richardum Cumberlandium, Gilbertum Coquium, alioſque a Buddeo recenſitos (1).

Ad alteram modo progrediamur recentiorum Sectam, Carteſianam nempe, quae inſtituta fuit a Carteſio (2). *Cum nulla ipſi ſecta Philoſophiae*, Buddeo referente, *arriſerit*, *ſepoſitis per dubitationem omnium Philoſophorum opinionibus, ac rerum omnium veritatibus, novum plane ad certiſſimas, atque evidentiſſimas Mechanicae leges, quas optime callebat, philoſophiae ſyſtema conſtruxit* (3). Methodo penitus Geometrica uſus eſt, eiuſque doctrinam complures ſectati ſunt; ſed prae ceteris adamarunt, & qua late patet orbis diſſeminaverunt Henricus Regius, Arnoldus, Iacobus Rohaultius, Antonius Le-Grand, Malebranchius, & maxime Petrus Sylvanus Regis Carteſiani ſyſtematis fautor (4); quamquam non defuere, qui cenſoria virga il-

Iud

(1) *Buddeus Hiſt. Philoſ. ſuccinct. deline. p. 91.*

(2) *Natus eſt Hagae Turonum in Gallia an. 1596.: obiit an. 1650. aet. 53. Holmiae ſepultus eſt in ea coemeterii parte, qua ſepeliuntur parvuli ſacro Baptiſmate abluti; ſed eius reliquiae ſepulcro eductae Lutetiam advectae ſunt an. 1666. & in Aede D. Genov. conditae.*

(3) *Buddeus in Hiſt. Philoſ.*

(4) *Hi omnes, Carteſius vero primus grave Theologorum Ul-*

tra-

lud notarent [1], Voetius praeſertim Ultraiectanae Univerſitatis tunc temporis Rector, acerrimuſque Calvini propugnator; Gaſſendus, atque Newtonus [2]. Suos itaque ha-

traiectanae Univerſitatis iudicium de ſua doctrina ampla Apologia confutavit, *cum* eius Philoſophiam effraeni vitae favere, & Atheiſmum inducere *ſcripſerint*. *Hanc Carteſio perſecutionem plures, praecipue vero excitarunt Gilbertus, Voetius illius Univerſitatis Rector, & Theologiae Profeſſor.*

(1) *Praeter Voetium, in Carteſium agit etiam Gaſſendus, quem Carteſius ipſe ita refutavit:* praeter lepide quaedam dicta nihil invenies, quod adverſarium pungat, vel ſi quid tangat cutim extremam, illud quidem blande, modeſte, & cum ſignificatione quadam benevolentiae introrſum labentis, & cui renovandae paratiſſimus eſſet, ut vix elapſo quinquennio contigit.

(2) *Natus eſt Newtonus Cantabrigiae ex veteri Newtonianorum familia. Praeſtantiſſimo quo pollebat ingenio naturam ſcrutatus eſt, Sectamque Newtonianam inſtituit, ad quam ſunt referendi Coteſius, Clarkius, Keilius, Wiſtbonus, & alii, qui experimentorum viam ab eo indicatam ingreſſi fructus non mediocres retulere. Mundani Syſtematis explicationem ex theoria gravitatis deducit Newtonus variis oſtendens argumentis, gravitatem ſingulis ineſſe corporibus: Tellurem, ac Solem, ceteraque corpora coeleſtia ſe viciſſim attrahere: omnes materiae particulas hac virtute pollere trahendi ad ſe alia corpora pro quantitate molis. Quam philoſophandi methodum litterariae reipublicae commodo edidit anno 1687. hoc nomine:* Philoſophiae Naturalis principia Mathematica. *Deinde anno 1704. vulgavit* Opticam, *ubi ſtupenda lucis phaenomena methodo prorſus nova perſcrutatur, explanatque: quod quidem egregium opus latine reddidit Clarkius anno 1720. Mitto cetera Mathema-*

Si-

habuit Florentia poſt renatas literas Coryphoeos Galilaeum , Torricellium ; ſuos Gallia Renatum des Cartes ; ſeu Carteſium , Malebranchium ; Britannia ſuos , Burnetium , Wiſthonum , & Newtonum ; ſuos etiam Germania Leibnizium (1) , ac Wolfium . Viris hiſce doctiſſimis , a quibus experimentis inſtitutis , novis ſubinde inventis , atque obſervationibus locupletata fuit philoſophia , plurimum ſane debemus .

Experimentalis Philoſophia coepiſſe fertur in Italia , Gallia , Germania , & Britannia graviſſimorum Mathe-

tica , & Chronologica , quae & acre ingenium , & limatum iudicium , & vaſtam lectionem produnt . Obiit Newtonus an. 1727. *aet.* 85. *Laudem poſtea non mediocrem ſibi compararunt Montfornius Compar* princ. phyſic., *& Hartſoecherus* Collect. Script. phyſic. , *qui Newtonianum Syſtema firmis rationibus conati ſunt in diſcrimen adducere , atque evertere .*

(1) *Eodem ferme tempore , quo Newtonus in Britannia , floruit in Germania Gotofredus Guillelmus Leibnizius natus anno* 1646. , *diemque obiit ſupremum anno* 1716. , *cum LXX. annum ageret . Fuit is vir polybiſtor , cum Newtono in Matheſi omnino comparandus . Auctor fuit Principibus , ac Regibus , ut Eclecticam philoſophiam ſumma amplificaverint munificentia . Pauca tamen de philoſophia ipſe edidit , cuius ſumma haec eſt : vacuum cum Carteſio reiecit ; tum vortices admiſit , materiamque ſubtilem . Ceterum Syſtema in Phyſica prorſus metaphiſicum , abſtractumque excogitavit . Et quamvis nec Newtenus , nec Leibnizius Sectam de ſuo nomine extare voluerint , ſed eclectice philoſophari ; tanto tamen cum plauſu utriuſque placita a ſuis excepta fuere , ut orta inde fuerit duplex familia Newtonianorum , & Leibnizianorum .*

thematicorum opera, qui Mechanicae auxilio plurima in re phyſica invenere; ac Societates quaſdam conſtituerunt, in quibus naturae ſcientia mutuis laboribus in dies augeretur.

Et primo quidem Fridericus Ceſius Princeps S. Angeli vir egregie doctus, doctorumque fautor munificentiſſimus anno 1603. Societatem in Urbe fundavit *Lynceorum Academiam* nuncupatam, cuius erat inſtitutum, naturalibus diſciplinis, praeſertim vero Matheſi operam dare, non neglectis Philoſophiae ornamentis. Deinde Io. Baptiſta Porta Neapolitanus, qui *Sclopum pneumaticum* primus invenit, eoque, quanta vis aeris eſſet, patefecit, Lynceorum Coloniam Neapolim traduxit. At haec Academia pene extincta fuit Regis Friderici obitu, qui cum aetate, opibuſque floreret, iis ad literarum augmentum, ac literatorum hominum praeſidium uſus eſt.

Poſtea Pariſiis apud Marinum Merſennum ex Minimorum Familia virum de literatis hominibus optime meritum convenerunt, ac Societatem inſtituerunt circa annum 1610. viri talibus contriti diſciplinis, ut Phyſicam, atque Matheſim amplificarint plurimum.

In Germania vero eaedem Societates conditae fuerunt circiter annum 1652. a Laurentio Bauſchio, qui anno 1670. *Miſcellanea Curioſa*, *ſeu Acta Phyſico-Medica* in lucem edidit.

Florentiae quoque, ubi a Galilaei temporibus Phyſico-Mechanicae ſtudium vigebat, Leopoldus Princeps Mediceus Ferdinandi II. Magni Etruriae Ducis Fra-

ter

ter, ac S. R. E. poſtea Cardinalis aliam Societatem, quae *Accademia del Cimento* nominatur, anno circiter 1657. exſuſcitavit, Academiarum omnium ſplendorem, atque normam.

In Britannia eodem ferme tempore alia extitit Societas Oxonii, quae in naturae ſcientia explicanda tota erat.

Porro iſtarum omnium Societatum lucubrationes tanto cum plauſu fuere a viris ſapientibus exceptae, ut Reges ipſi, Leopoldi Medicei auctoritate commoti, Societates ipſas confirmarint, dotarint, atque curarint, ut omnibus munitae praeſidiis publico bono laborarent. Ac primum Carolus II. privatam Oxonii Academiam Londinum venire iuſſit anno 1660., eamque non multo poſt legibus confirmavit ſuis. Haec autem ab anno 1665. lucubrationes, quas edidit, *Acta Philoſophica* inſcripſit.

Deinde Ludovicus XIV. *Regiam Scientiarum Academiam* Pariſiis inſtituit anno 1656.; & anno 1698. prodiere huiuſce Academiae *Commentaria Mathematica*, & *Phyſica*.

Demum Leopoldus I. Imperator anno 1687. imperatoria auctoritate firmavit *Academiam Curioſorum Naturae*, quae ab anno 1670. edidit *Ephemerides Phyſico-Medicas Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum*, eiuſque hiſtoriam ſcripſit an. 1700. Mich. Bern. Valentini.

Praetereunda minime eſt Philoſophica Academia ſub initium XVIII. ſaeculi a Friderico I. Boruſſiae Rege anno 1700. Berolini excitata auctore Leibnizio, & anno XI. perfecta, quae naturalibus diſciplinis ſedulam nava-

vit

vit operam, eiuſque extant *Miſcellanea Societatis Regiae Berolinenſis*. Paucis inde elapſis annis, ſcilicet anno huiuſce ſaeculi undecimo Marſilius Comes Bononiae aliam ſuis ſumtibus erexit ſub Clementis XI. Pont. Max. auſpiciis, qui ſua Conſtitutione, quae incipit *Superni diſpoſitione Conſilii* Academiae huius leges ſeu ſtatuta confirmat. Haec autem *Inſtituti Bononienſis* nomine venit, & ſua edidit *Miſcellanea*. Horum veſtigia ſequutus Petrus I. Moſchorum Imperator celeberrimam Academiam, adſcitis undique viris doctiſſimis, Petropoli condidit anno eiuſdem ſaeculi vigeſimo tertio, eamque duos poſt annos Catharina perfecit: cuius vel exſtant *Commentaria Societatis Petropolitanae*.

Regum itaque, Imperatorum, Summorumque Romanorum Pontificum auctoritate Naturae ſcientia in Italia, Gallia, Batavia, Anglia, Germania, Moſchovia, atque aliis in locis coli coepit, ac perpoliri.

Hinc factum eſt, ut ab his temporibus Philoſophiae facies fuerit in Europa omnino immutata. Huiuſmodi enim muniti praeſidiis Philoſophi non amplius dubitarunt, quae ſentiebant de Phyſica, aperire, pulcherrimamque facultatem, experientiae beneficio, ſuo in lumine collocare. Et quamquam eorum plerique vel Carteſii, vel Gaſſendi doctrinas amplectebantur; in illuſtranda tamen Phyſica, naturae obſervatione, atque experientia uſi ſunt.

Hoc autem philoſophandi genus per experimenta, naturaeque obſervationem, ad veritatem e ſuis latebris, ve-

veluti *e profundo Democriti puteo* [1] eruendam, utile adeo exiſtimarunt; ut neque magni momenti expenſis, neque improbis laboribus pepercerint. Omnibus praeivere acutiſſimi, ingenioſiſſimique viri Galilaeus, Boyle, Torricellius, Huygenius, Wolfius, aliique non pauci, qui induſtria, & in inveniendis, componendiſque rebus mira prorſus, & accurata ſubtilitate ita ceteris antecelluerunt; ut eorum tentaminibus tuto liceat confidere. Ita Barometra primus omnium Torricellius [2] invenit, & Barometri ope ignis, ceterorumque corporum gravitatem expertus eſt, ac demonſtravit; licet Galilaeus eius magiſter primus omnium hoc tentamen inſtituerit; qui etiam cum Caſſino, & Huygenio maculas in Sole, ſatellites circa Iovem, & Saturnum ſuo obſervavit [3] Theleſcopio; atque accelerationem gravium in deſcenſu, ac proiectorum curvam primus deprehendit. Siderum motus, & proportionem Carteſius, Leibnizius, Keplerus, & ex recentioribus Newtonus, ac Wolfius intellexerunt, ac demonſtrarunt. Magnetis phaenomena Gilbertus, & Muſchembroeckius ceteris accuratius oſtenderunt; Micro-

(1) *Boetius de Conſ.*

(2) *Faventinus.*

(3) *Theleſcopii inventionem Galilaeo vendicat Ianus Erythraeus. Alii vero Ioanni Lipperſenio tribuunt; quod quidem inſtrumentum mirum in modum poſtea expoliverunt Huygenius, Campanus, Newtonus. Galilaeus etiam Copernicanum ſyſtema de motu telluris circa coeli orbes nullo agitatos motu confirmare, & ornare ſtuduit* in Dialogis de ſyſtemate Mundi.

croſcopiorum uſum Petrus Borellus ; Specula Cauſtica Tſchirnauſius ; Thermometra Cornelius Drebbellius ; Antliam Pneumaticam [1] Robertus Boyle , aliique alia huius generis invenerunt , aut iam inventa perfecerunt . Hinc factum eſt , ut Experimentalis Philoſophia amplificata maxime fuerit ab inſtrumentorum copia , quae duobus ab hinc ſaeculis aut inventa , aut perfecta fuere ad naturae myſteria rimanda , & ſua in luce ponenda [2].

Ephemerides quoque *Literariae* , quae ab anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto in Italia , Gallia , Anglia , Batavia , Germania , alibique editae ſunt , incredibili fuerunt adiumento Philoſophiae . Etenim & nova inventa harum ope ad remotiſſimas regiones pervenerunt , & hominum ingenia ipſae excitarunt , ut eamdem viam tenerent ; & occaſio fuerunt eruditis , cur exigui voluminis diſſertationes non delerent , aut conciderent , propterea quod aliis coniunctae ſingulis menſibus , & annis publico bono , idque nulla auctoris impenſa , prodire poſſent , publicaeque inſervirent utilitati .

Haec Philoſophiae hiſtorica diſquiſitio eſt ab orbe condito ad noſtram uſque aetatem , eamque ſtrictim ſumus perſequuti , ne infinitum tyronibus negotium exhi-

(1) *Haec tamen a Guerickio fuit excogitata , polita vero a Boyleo , & multo felicius a Muſchembroeckio .*

(2) *Eos , qui ſingulas Naturalis Hiſtoriae partes illuſtrarunt , dabunt Scheuchzerus* Biblioth. Script. Hiſt. Natur. Tigur. 1716. *Iul. B. de Robr.* Biblioth. Phyſic. c. 14. *Morboſ.* Polyhiſt. Tom. II. l. 2. p. 1. c. 2. *Cenſer.* Comment. Acad. Regiarum .

beremus, in quorum gratiam vel maxime editur opuſculum. Quapropter Orientali huius temporis philoſophia [1], & peregrinis aliis, quod ad finem nobis propoſitum non ducunt, ſuperſedemus omnino.

Sectarum igitur omnium placitis, earumque auctoribus, nuperiſque inventis in medium allatis; ſi quis maiora perſequi velit, cunctorumque ferme Philoſophorum vitam, mores, atque dogmata cupiat perluſtrare; conſulat, ac perlegat Stollium [2], Struvium [3], Morhoſium [4], Fabricium [5], Reimannum [6], Buddeum [7], ac Literatorum [8] Ephemerides.

DE

(1) *Orientalium populorum Philoſophiam cum eorum Religione arctiſſimo nexu colligatam eſſe monet Bruckerus de* Philoſ. Gent. Aſiatic. *fine V. Codicis*.

(2) *Hiſtoria Literaria*.

(3) *Bibliotheca Philoſophica*.

(4) *Polyhiſt. Literar.*

(5) *Catalog. Biblioth. ſuae*.

(6) *Hiſtoria Liter. Germ.*

(7) *Hiſt. Philoſ.*

(8) *Horum tamen aliquos tum legent Philoſophi, cum per eruditionem, & Eccleſiae leges licebit. Cuius quidem rei tyrones, atque in hiſtoria literaria parum exercitatos commonefacere conſentaneum putavi*.

LOGICAE PROOEMIUM.

Operae pretium haud temere nos facturos arbitramur, ſi eam facultatem tractaturi, quam Tullius *Artem omnium maximam* (1), *quae per omnes ſapientiae partes manat, ac funditur* (2); & Auguſtinus *Diſciplinam diſciplinarum, ſcientiamque veritatis* (3) appellavit, doctiſſimorum virorum conſuetudinem ſervaverimus, qui in quovis propemodum doctrinae genere ab eiuſdem origine exordium ſumunt. Quare nec iniucundum, nec inutile fore vobis audientibus cenſemus, ſi Artem Logicam expoſituri ab ipſiuſmet nomine, natura, ortu, atque progreſſu initium duxerimus. Logica, ſi vim nominis perpendamus, a graeca voce λόγος dimanat, quae *rationem*, & *orationem* ſignificat; quod praecepta tradat non ſolum inveniendae veritatis, ſed etiam demonſtrandae, & ordinate tractandae. Quapropter definiri recte poterit Logica *Ars bene cogitandi*, ſcilicet bene utendi ratione in veri cognitione acquirenda, atque oratione in demonſtranda aliis veritate (4). Exinde autem colligitur, quod ar-

(1) *In Bruto*.
(2) *Tuſc.* 5.
(3) *Lib.* 3. *cont. Acad. c.* 13. *n.* 29.
(4) *Logica, ut a Cicerone definitur in* Academ. 4. cap. 28. *eſt ars veri, & falſi diſceptatrix, & iudex; ſcilicet recta ratio veritatis detegendae, atque explicandae.*

artis Logicae munus ſit, intellectum, ac mentis cogitationes ad verum dirigere [1]; unde *Rationalis facultas* a Platone [2], & Plutarcho [3] appellatur. Quoniam vero ſermones ad interrogationem, reſponſionemque diſponit, *Dialecticae* nomen accepit a graeco verbo διαλέγομαι ſcilicet *diſſero* [4]; ab Epicureis *Canon* ſeu *Canonica* dicitur, quod canones, ſive regulas diſputandi, inquirendaeque veritatis proponat. Ab Ariſtotele [5] tamen, atque Peripateticis honorificentioribus nominibus, *Organo* nimirum, *Inſtrumento*, *Ianua Scientiarum* inſignitur, quod ad ſcientias omnes comparandas adeo neceſſaria ſit, ut ſine illius ope, ac ſplendore nulla propemodum, ſi Matheſis excipiatur, acquiri, aut certe aegre admodum adiri poſſit facultas. Dixi, ſi Matheſis excipiatur: quod enim ſcientia haec ſine Logicae ſtudio poſſit comparari, uberrime demonſtratur non ſolum ex veteri conſuetudine a Pythagora, & a Platone iam uſurpata, ut nempe adoleſcentes ante Logicae artem doceantur Geometriam; proindeque Academiae foribus inſculpta olim legerentur haec verba: *Nullus Geometriae expers accedat* [6]; verum etiam intelligi-

(1) *Praefert lumen Logica, per quod acies dirigatur ad verum*, Sen. Epiſt. 88.

(2) *Vid. Theaetet., & Alcibiad.* 1.

(3) *Lib.* 1. *de Plac.* 1.

(4) *Hinc a Tullio* Academ. 4. *vocatur* Diſceptatrix, *a Quintiliano* lib. 2. Inſtit. cap. 2. Diſputatrix.

(5) 1. *Prior. cap.* 30., & 1. *Topic. c.* 11.

(6) *Quum Mathematicae diſciplinae ſint, ut inquit Plato in* Ti-

gitur ab ipſo admirabili Geometrarum ordine, quo a facilioribus ad difficiliora, a clarioribus ad obſcuriora ipſi paullatim aſcendunt; nullum in vocibus ambigendi locum relinquunt, eas accurate prius explanantes; axiomata praemittunt per ſe clara, atque perſpicua, ex quibus demonſtrationes eruunt firmiſſimas.

Vetus eſt Scholarum conſuetudo, ut Logica in *Naturalem*, & *Acquiſitam* dirimatur. *Naturalis* eſt illa vis, & facultas inferendi unum ex alio impreſſa a Deo humanis mentibus iuxta illud Regii Prophetae: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine* (1): quae quidem appellari etiam ſolet *Ratio*, ſive *Rationis lumen*; quod ſane omnibus ſcientiis neceſſarium eſſe, communis eſt Philoſophorum ſententia, quoniam ſine rationis lumine nulla unquam cognitio haberi poteſt. *Acquiſita* vero eſt ea facultas, quae ſtudio, labore, ceteriſque legibus, ac praeceptis comparatur, quaeque in *Theoreticam*, & *Practicam* dividi conſuevit: *Theoretica* eſt Ars, quae leges, & praecepta tradit, quibus mentis acies dirigatur ad verum: *Practica* ad uſum applicat praecepta illa. Subdividitur quoque Logica Acquiſita in *veracem* atque *ſinceram*, quam quidem docere nobis propoſuimus; in *cavilloſam* & *ſophi-*

Timaeo, & in lib. 7. de Rep. ad eruditionem via, attollantque animum ad veritatem, atque ita ad philoſophandum praeparent cogitationem; *hinc Plato ipſe eos abire iuſſit, & Academia prohibuit, qui geometricum antea pulverem non attigiſſent.*

(1) *Pſalm.* 4.

phiſticam , quam ſolam intelligunt Sancti Patres , cum Logicae ſtudium vanum , ac leve pronunciant ; eamque omnino reiicimus .

Logicae ſtudio Graeci omnium primi ſe dedidere ; & nonniſi quingentis circiter ante Chriſtum annis de emendandis operationibus mentis cogitarunt homines . Nam qui primum diſciplinas excolebant , ſyderum periodis obſervandis , vel futuris eventibus praedicendis , moderandiſve populis erant plerumque occupati . Artem hanc nobiliſſimam inter veteres praeſertim Graeciae philoſophos profeſſus eſt Pythagoras , qui vana ſubtilitate praeceptorem ſuum Zenonem ſuperare contendebat , cum iudicii ſoliditate non poſſet . Euclides (1) quoque Megarenſis , eiuſque ſectatores Logicae operam dabant , quorum duae fuerunt claſſes , *Eriſticorum* una , *Dialecticorum* altera , qui huiuſmodi nominibus indigitabantur , quod acerrimi eſſent in diſputando . Primus tamen , qui Logicae praecepta in ordinem redigeret , quantum ex hiſtoria poſſumus definire , fuit Zeno (2) Eleates Parmenidis auditor , a quo Socratem , a Socrate vero Platonem hanc didiciſſe facul-

ta-

(1) *Hic rixandi viam , & vafras quaeſtiunculas nectendi , quam ab Eleaticis philoſophis didicerat , ut Walchius* hiſt. Logic. §. III. *teſtatur , quaque in Graecia Sophiſtae delectabantur , ut erat ingenio acri , & acuto , mirifice auxit , primuſque in artem reduxit . Dialogis utebatur , frequentibus conſecutionibus* ergo , ergo , ergo , *quidquid propoſuerat , conficiebat .*

(2) *Zenonis Logicam in tres partes diviſam fuiſſe affirmat Gaſ-*

tatem, Laertius teſtatur. Duos autem iſtos veterum philoſophorum facile principes in reprimenda ſophiſtarum ſuperbia [1], & inani acuminis oſtentatione retundenda occupatos veram docuiſſe Logicam, & longe lateque promoviſſe autumat Chriſtianus Thomaſius [2]. Et revera in Xenophontis ſcriptis habetur, *Socraticam*, *&* *Platonicam ſcholam acute definiviſſe*, *diligenter diviſiſſe*, *dubitaſſe opportune*, *accurate*, *&* *ordinatim perveſtigaſſe*, *argumentorum perpendiſſe momenta*; *adeoque plurimum iudicio*, *&* *ratione valuiſſe*.

Ariſtoteles quoque maximus Platonicae ſectae Alumnus primus omnium eleganter adeo, accurateque Logicam ſuam diſpoſuit [3], ut eius inventor, de quo gloriari vel ipſe ſolebat, a compluribus fuerit exiſtimatus. Sexdecim libris *Logicae Organum*, ita a ſe nuncupatum,

 con-

Gaſſendus de Logic. origin. & variet. c. 2.; *quarum prima* Conſecutionum, *altera* Dialogorum, *tertia* Contentionum *dicebatur*. *Enumerabat prima rectas ratiocinationum leges*; *veram dialogorum methodum docebat ſecunda*: *poſtrema ingenium ad ſophiſmata*, *contentioneſque acuebat*.

(1) *Socrates enim*, *&* *Plato iis florebant temporibus*, *quibus Graecia Sophiſtis abundabat*, *inter quos eminent Protagoras Abderites*, *Prodicus Chius*, *Gorgias Leontinus*, *Hippias Eleus*, *Thraſymachus*, *aliique*, *de quibus Philoſtratus* in vitis Sophiſtarum, *&* *Eunapius* de eodem argumento.

(2) *Philoſ. aulic. c.* 4. §. 7.

(3) *Conſcripſit de re Logica* CXXIII. *libros*, *quorum praecipui deſiderantur*: *XVI. tantum extant*. *Videatur Franciſcus Patricius* Diſcuſſ. Peripat. T. 1.

concinnavit(1), optimis inventis, atque regulis refertum.

His omnibus, ut Cyrenaicos (2), Stoicos (3), Epicureoſque (4) praeteream, ne nimium in artem Logicam pro-

---

(1) *Illud tamen fatendum, quod Ariſtoteles grammaticam philoſophicam potius, quam ratiocinandi artem conſcripſit. Plurimum docet, cavere nonnullas Sophiſtarum ſui temporis moleſtas argumentationes; nuſquam vero recte iudicare, & ratiocinari, idque methodo. Ita Verneius* de Re Logic. lib. 1. c. 3. §. 6.

(2) *Laertius* lib. 2. ſect. 92. *narrat, Cyrenaicos neglexiſſe Phyſicam, atque Logicam; aliorum vero ſententia, reieciſſe Phyſicam, & Logicam retinuiſſe. Ut congruant omnia, dici poteſt, Ariſtippum cum ſuis ſectatoribus ſpreviſſe quidem Eleaticorum dialecticas, & Megaricorum contentiones; Logicam vero ſolidam, & ab aeſtu alienam adamaſſe. Argumento eſſe poteſt, logica ipſorum praecepta ad ſenſus humanos ſpectantia in canones relata fuiſſe a Sexto Empyrico* adv. Mathem. 5. 291., *quem ſequutus Chriſtianus Thomaſius ſuas in illa adornavit commentationes* Introd. ad Philos. ration. cap. 6. §. 69.

(3) *Stoicos palmam praeripuiſſe omnibus in Logicae arte, ſenſit Gaſſendus* de Logic. orig. cap. 6. *Et quidem Laertius* lib. 7. 5. 47. *teſtatur, Chryſippum Stoicum ſcripſiſſe* 311. *libros logicos. At quo copioſius, eo ineptius; Lucianus enim* Oper. vol. 2. pag. 205. *Chryſippi ſyllogiſmos* frigidos *vocat*, & invenuſtos: *dicuntur enim, ſubtilitates novas excogitaſſe, quibus philoſophos paratiores, acutioreſque implicarent.*

(4) *Epicurus cum Stoicorum dialecticam ſophiſmatum ſpinis obſitam improbaret, novam condidit Logicam, quam* Canonicam *dixit a canonibus, & regulis, quibus omnem complexus eſt facultatem. In ea egit potiſſimum de triplici veri-*

protrahatur prooemium; acceſſerunt recentiorum omnium labores, qui Ariſtotelis Logicam illuſtrarunt, novis ornaverunt incrementis, variaque methodo uſi ſunt in ipſius praeceptis explicandis. Inter huius diſciplinae reſtauratores principem locum tenent Laurentius Valla Romanus, Rodulphus Agricola Germanus, Ludovicus Vives Hiſpanus, Marius Nizolius Brixellenſis, Petrus Ramus natione Gallus [1], aliique XVI., ac XVII. ſaeculi ſcriptores, quos omnes Franciſcus Baconus Verulamius [2] Anglus ſuperavit, novam Logicae faciem inducendo, ut videre eſt in celeberrimi viri Antonii Genuenſis *Prolegomenis Artis Logico - Criticae*, in quibus perſpicue demonſtrat, Verulamium ipſum *adhibuiſſe methodum a vulgaribus*

veritatis criterio, *nempe* ſenſatione, praenotione, affectione; *cuncta enim ad contemplationem dirigi ſolent*, *vel ad actiones*. *Tullius* de Fin. lib. 1. c. 7. *affirmat*, *Epicurum in Logicae arte nudum*, *&* *inermem fuiſſe*: *verumtamen in hoc ſuſpectus putatur*, *quod nimium adhaereret Stoicis*, *& Academicis*, *qui*, *ut neminem latet*, *Epicuri hoſtes erant*. *Addidit quoque Epicurus Logicae ſuae nonnullas de optimo rerum uſu praeceptiones*, *quas ubi Logici retinuiſſent*, *foedos declinaſſent paralogyſmos*, *craſſaſque aequivocationes*.

(1) *Hic omnium primus Ariſtotelis errores notavit in opere*, *quod inſcripſit* Ariſtotelicae Animadverſiones. *Deinde in* Inſtitutionibus Dialecticis *novam artem propoſuit diſſerendi*. *Logicam ipſe partitur in* Inventionem, *&* Iudicium.

(2) *Franciſcus Baro de Verulamio Anglus floruit ſaeculo XVII. ineunte*, *&* *Logicam edidit*, *quam* Novum Organum *inſcripſit*. *Hic autem notandum*, *quod omnes*, *qui poſtea ſcripſere*, *de Verulamii*, *&* *Rami fontibus hauſerunt*.

bus Logicis diverſam ſine, inquirendi veri principiis, & ordine demonſtrandi.

Poſt Ramum, & Baconum Artis Logicae inſtauratores celebrari merito debet Petrus Gaſſendus, qui Logicas Inſtitutiones in quatuor partes diſtribuit, quarum prima *de ſimplici rerum imaginatione*, altera *de propoſitione*, tertia *de ſyllogiſmo*, quarta *de methodo* differit (1).

Non minorem nominis famam ſibi compararunt Renatus Des-Cartes (2), Malebranchius, & Artis cogitandi Auctor, quem dicunt Antonium Arnaldum alii, alii Trogny, nonnulli autem, & quidem veriſimilius, Nicolium. Verum quicumque ille ſit huiuſce libelli auctor, Petrus Sylvanus Regis exiſtimavit, *nihil fieri poſſe hac Arte accuratius*; & eruditiſſimus Gravina ſcribit, *huius operis lectione non modo e communibus naturae tenebris mentem exſolvi, ſed etiam labyrinthum effugere vulgarium dialecticarum, e quibus diuturna iactatione, aſſiduiſque iurgiis non aliud niſi fallere, fallique diſcimus*. Ex ea quoque lectione lumina excipiuntur ad omnes fere ſcientias, quarum ſemina illic ſunt

(1) *Ipſius docendi methodum philoſophi ferme omnes amplexati ſunt; ut recentioris Logicae inſtaurator iure merito habendus ſit.*

(2) *Hic etiamſi a Verulamio, aliiſque plura didicerit; nihilominus novi ſyſtematis, ingenioſi quidem auctor fuit: reiectis enim praeiudiciis auctoritatis, & vetuſtatis ad veritatem inveſtigandam tota mente ſe contulit, nec aliorum iudicio, ſed ſuo tantum res explicavit, ac finivit: De Carteſio iudicium recte facit P. Daniel e Societate Ieſu, in* itinere Carteſii part. 3.

ſunt effuſa; ut quacumque flectere quis voluerit, rectam per ſeſe inire valeat viam. Wolfius quoque in Mathematicis, ac Metaphyſicis ſpeculationibus vir apprime verſatus cum philoſophiam omnem egregiis ſcriptis illuſtraverit, artem Logicam vel ipſe edidit, in qua a ſuperius laudato Genuenſi commendantur I. dilucidae, & accuratae vocum definitiones; II. geometrica methodus; III. veritates plurimae ab ipſo detectae; IV. leviſſimarum rerum demonſtrationes. At reprehenduntur I. nimia prolixitas; II. exemplorum mathematicorum obſcuritas; III. inventionis, & criſeos Logicae neglectus; IV. denique maior verborum, quam cogitationum cura.

Plurimum etiam adiumenti afferre poteſt ad recte philoſophandum Edmundi Purchotii Doctoris Sorbonici Logica, & Cl. P. Eduardi Corſini, & Logico-Critica Antonii Genuenſis, opus quidem praeclariſſimum, dignumque, quod omnes Artis Logicae praeceptores, aliique diurna, nocturnaque manu verſent. Tyronum tamen captum excedunt ea praecipue, quae de errorum cauſſis, de ſublimioribus facultatibus ediſcendis proponit.

Multa tandem rite philoſophandi adminicula depromere poſſunt tyrones ex Logicis Inſtitutionibus, quarum auctor fuit doctiſſimus Pater Franciſcus Iacquier ex Minimorum Familia, qui in hac diſciplina, ceteriſque Philoſophiae partibus ea ſibi diligenter inquirenda, ac pertractanda proponit; quae ad Divinae Scientiae ſtudium poſſunt conducere. Hic autem noſtro huic Logicarum Inſtitutionum prooemio finem imponentes ad explicanda,

quae

quae de intellectus humani operationibus, & partibus Logicae diſſeri queunt, gradum faciemus.

DE HUMANI INTELLECTUS OPERATIONIBUS, ET PARTIBUS LOGICAE.

CAP. I.

QUoniam intellectus humanus circa veritatem eſt occupatus; & Logica rationem tradit inveniendae, declarandaeque veritatis; inde patet, eiuſmodi facultatem doceri, & addiſci non poſſe, niſi humani intellectus vires, eiuſque operationes probe perſpectas habeamus. Cum itaque ſimplices acquirit ideas intellectus, *Percipere* dicitur; dum binas inter ſe confert, *Iudicare*; quoties tres inter ſe comparat ideas, *Ratiocinari*. Unde tres dumtaxat ſunt intellectus operationes, *ſimplex* nimirum *Apprehenſio*, ſive *Perceptio*, *Iudicium*, *Ratiocinatio*; adeoque definiri recte poterit intellectus, *Animi Facultas*, *qua ipſe percipit*, *iudicat*, *ratiocinatur* (1). Cum vero ad o-

(1) *Quamvis intellectus permultis, iisque egregiis polleat facultatibus & operationibus, nempe ratione; inficiari tamen haud poſſumus, cum non ſemper veritatem adſequi, cuius rei cauſſa non ab intellectu, ſed a voluntate dimanat. Quum enim raro velit homo res, de quibus cogitat, accuratius contemplari; ſed vel aliorum auctoritate totus nitatur, vel vaga, ac ſuperficiaria meditatione acquieſcat: hinc fit, ut in-*

omnes mentiſ operationes dirigendas inſtituta fuerit Logica; hinc ſequitur, ut totidem in ea partes enumerentur, quot ſunt mentis ipſius operationes; ut nulla proinde ſit intellectus operatio, quae non ab aliqua diſtincta Logicae parte dirigatur. Vt vero a prima intellectus operatione exordiamur, eiuſque naturam intelligamus; perceptio a Philoſophis definitur, *intellectus operatio, qua rem aliquam apprehendimus, vel concipimus, nihil de ipſa affirmando, aut negando*: ita ſi triangulum, *ex. cauſſ.* concipiamus, nihil de eo affirmando, vel negando; haec mentis operatio *ſimplex apprehenſio*, *perceptio*, ſive etiam *conceptus formalis* dicitur; ſpecies vero, imago, quae in nobis efformatur, ac veluti depingitur, *idea*, *conceptus obiectivus* dici ſolet: unde perceptio in hoc differt ab idea, quod haec ſumitur pro obiecto, ſeu re ipſa percepta; illa vero accipitur pro forma, modo, diſpoſitione, ſeu affectione intellectus percipientis. Duae a philoſophis diſtingui ſolent perceptionum ſpecies: prima, ac nobi-

---

intellectus ipſius aciem praeſtringant duo auctoritatis, ac praecipitantiae praeiudicia; *quae quidem rectae rationi veluti tenebras offundunt. Primum eſt falſa opinio, qua unius ſententiam licet nunquam expenſam ob eius dotes amplectimur; alterius reiicimus. Secundum, ideſt praecipitantiae praeiudicium, eſt falſa opinio, qua ſententiam nec accurate, nec ordine diſcuſſam tanquam veram adſumimus, vel improbamus ut falſam. Haec autem non temere quiſquam animo evellet, niſi ordine inſtituat meditationem, idque agat praecipue, ut perſpicuas, diſtinctas, completas, & adaequatas rerum ideas ſibi efformet.*

bilior a Carteſianis habetur *intellectio pura*, *perceptio* ſimpliciter appellata, per quam obiectum ab omni corporeo phantaſmate, vel ſenſibili imagine ſeiunctum mens ſpeculatur; cum ſcilicet percipit Deum, Virtutem, Iuſtitiam, ſe ipſam, ſuas cogitationes, & affectiones, puta amorem, aut odium &c. Hic tamen notandum, perceptionem illam, qua mens ſeipſam, ſuaſque novit cogitationes, *conſcientiam* vocari; quia ſuarum cogitationum, atque affectionum conſcia eſt. Altera, ac minus nobilis, hominibus tamen magis familiaris perceptionis ſpecies, *imaginatio* (1) appellatur, per quam nempe mens imaginem

(1) *Haec* Phantaſia *quoque dici ſolet*, *eſtque vis illa mentis*, *qua res omnes corporea imagine expreſſas nobis repraeſentamus*, *quaeque ab ingenio*, *iudicio*, *ac memoria diſtingui ſolet*.

Ingenium *eſt mentis ſolertia in inveniendo*, *&* *excogitando*.

Iudicium *eſt facultas ſeligendi ea*, *quae recta ſunt*, *iiſque pro rei dignitate utendi*.

Memoria *eſt facultas res iterato cognoſcendi*, *ita ut mens ſentiat*, *ſe id ante percepiſſe*: *cuius actus eſt* reminiſcentia.

Phantaſia *ab exercitatione non pendet*, *ſed natura omnibus ineſt*.

Ingenium *partim a natura eſt*, *partim exercitatione comparatur*.

Iudicium *non niſi multa meditatione*, *uſuque doctiſſimorum philoſophorum conſequi poſſumus*. *Unde conſtat*, *cur ii*, *qui ingenio admodum valent*, *iudicio plerumque non polleant*. *Nam ingenium in excogitando*, *&* *componendo occupatur*: *contra iudicium in ſeparando recta a non rectis*; *quae longo inter ſe diſtant intervallo*.

Memoria *quod a cerebri temperamento pendeat*, *&* *ipſa exercitatione acquiratur*, *vel augeſcat*, *omnes fatentur*.

nem quamdam corpoream in phantaſia, atque adeo in cerebro tamquam exaratam percipit; veluti ſi quis ſolem, aut aliud quidpiam corporeum quaſi praeſens intueatur; cum id ſaepius longiſſime abſit, immo in rerum natura aliquando minime reperiatur. Ex quibus omnibus infertur, inſigne elucere diſcrimen puram intellectionem inter, & ipſam imaginationem (1); quoniam haec ſpeciem corpoream; illa incorporeum obiectum contemplatur.

Iudicium eſt *intellectus operatio, qua notiones, ſeu ideas duas affirmando componimus, aut negando divellimus*: ut ideam ſolis, atque ideam ſplendoris habentes, has duas ideas coniungimus, aiendo nempe, *ſolem ſplendeſcere*: vel etiam circulum, & quadratum contemplantes eiuſmodi ideas ſeparamus, negando ſcilicet, *circulum eſſe quadratum*, aut viciſſim; duo iſti mentis actus *iudicia* appellantur, affirmativum unum, negativum alterum.

Ratiocinatio tandem eſt *ea intellectus operatio, qua ex duabus notionibus cum alia comparatis; vel ex praeviis duobus iudiciis tertium elicitur* (2); ut dum ex hoc iudicio: *Spiritus eſt incorruptibilis*, & ex altero: *Animus humanus eſt ſpiritus*; tertium deducimus, nimirum *Animus humanus*

(1) *Imaginatione ideas varias componimus, diſcernimus, revocamus, retinemus. Unde nunc* ingenii, *nunc* iudicii, *modo* reminiſcentiae, *vel* memoriae *nomine ipſa deſignatur*.

(2) *Ratiocinatio definitur a Cicerone Acad. 4. cap.* 8. Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.

nus eſt incorruptibilis ; iudicium hoc tertium *ratiocinationis* nomine inſignitur [1] . Tribus iſtis hactenus explicatis intellectus operationibus tres Logicae partes reſpondent , quarum prima ea , quae ad perceptionem , vel ideam ſpectant , complectitur ; ſecunda circa iudicia , aut enunciationes verſatur ; tertia de ratiocinatione , & argumentationibus diſſerit : quibus omnibus quartam etiam , quae de methodo agit , ſuperaddidere Philoſophi . Mens etenim ad veri notitiam quatuor veluti gradibus progredi videtur . Et primo quidem rem intuetur , ac percipit ; deinde alia apte coniungit aiendo , aut negando ; tum duas enunciationes ſimul componit , atque ex iis tertiam colligit ; poſtremo tria haec , perceptiones ſcilicet , enunciationes , ratiocinia recte , & apposite ad verum aperiendum diſponit , quae dicitur *Methodus* [2] . Haec autem cum ſuas quoque habeat difficultates , ac regulas , quas ſeorſim perpendere , atque explanare debemus ; hinc fit , ut in quatuor partes Logicae Inſtitutiones ſint tribuendae .

LO-

(1) *Tota ratiocinationis vis huic axiomati ab omnibus recepto inniti videtur*: quae ſunt eadem uni tertio , ſunt eadem inter ſe : *utraque idea cum media convenit ; conveniunt ergo ambae & inter ſe* .

(2) *Recte percipiendo vitantur* Ambigua : *recte enunciando* Falſa : *recte ratiocinando* Inconſequentia : *recte diſponendo vitantur* Obſcura : *quae ſunt quatuor vitia Logico propoſita ad expugnandum* .

LOGICAE PARS PRIMA

DE IDEIS

CAP. II.

IDea [1] a graeca voce derivat, quae *ſpectare*, *videre* ſignificat; eaque definitur, *Id, quod in mente eſt, dum ipſa mens cogitat*: ſcilicet forma quaedam, quae ipſa per ſe lucet, ac menti inſervit ad alia cognoſcenda. Interdum tamen neque forma, neque ſpecies dici poteſt, ſed intimus quidam animi ſenſus. Interdum etiam Platonici diſtinguunt ideam inter, atque idos, aientes ideam eſſe veluti ſigillum; idos veluti formam per ſigillum impreſſam [2]. Solent Philoſophi nonnulli, poſt traditam idearum naturam, intricatiſſimam illam de earumdem origine controverſiam [3] inſtituere. Nos tamen veriſimilio-

(1) *Ideae nomen reperiſſe videtur Plato, ut inquit Cicero Acad,* 1. *c.* 8. Hanc illi ideam appellant, iam a Platone ita nominatam; nos recte ſpeciem poſſumus dicere. *Nonnulli tamen putant, vocem hanc antiquiorem Platone eſſe, ſed ab eo primum fuiſſe traductam ad formas rerum archetypas ſignificandas*,

(2) *Vide Senecae Epiſt.* 58.

(3) *Plato ille divinus, quo nemo magnificentius, atque nobilius de mentis noſtrae natura diſſeruit, has rerum formas, & imagines, humanae menti ab aeterno ingenitas, & natura ipſa impreſſas aſſeruit; neque aliunde originem idearum repetebat, quam ab eo, qui illas, & in illis omnium*

rem dumtaxat ſententiam in medium afferemus, cum argumentum iſtud non logici, ſed iuris potius metaphyſici ſit, quia Metaphyſica ſcientia de humana mente, praecipuiſque eius facultatibus, atque affectionibus ex inſtituto differit. Idearum itaque origo a mente ipſa eſt repetenda, cui ſemel a ſapientiſſimo Artifice impreſſae illae fuerint, ut in ipſis res ſpiritales intellectus contemplaretur; [quidquid in contrarium ſenſerint Stoici, Peripatetici (1), Gaſſendus, & Lockius, qui a duplici fonte,

---

mnium ſcientiarum, virtutumque ſemina humanae menti muniſicentiſſime impreſſit.

Veterem Platonis ſententiam nuperrime ſuſcitavit Carteſius, qui non ab aeterno menti humanae inditas rerum imagines ſenſit, ſed eo tempore, quo a Deo creata, ſimulque organizato iam corpori coniuncta fuit, impreſſas illi dixerit rerum ideas, veluti prima cognitionis, & ſcientiae ſemina. Hanc Carteſii ſententiam amplexi ſunt Malebranchius, Leibnitius, aliique Carteſii ſectatores.

(1) *A Platone, & Carteſio circa idearum originem plurimum diſſident Ariſtotelici, & toto caelo diſtant Epicurei. Hi ſiquidem in hac rerum univerſitate nihil, niſi* materiam, & inane *admittebant, teſte* Lucret. lib. 1. de Rer. Natura verſ. 420.

Omnis ut eſt igitur per ſe natura duabus
Conſiſtit rebus: nam corpora ſunt, & inane.

Nullam naturam ſpiritalem ſive cogitantem agnoſcebant, & cogitationem a materia profluere ſibi falſo perſuadebant; unde in aſſignando etiam idearum originem, non ſolum a corporibus illas oriri affirmabant; ſed nihil aliud eſſe fingebant, quam Simulacra *quaedam, aut* Spectra, *aut* Idola *corporea. At huiuſmodi Epicureorum ſententias tamquam de-*

te, *ſenſu* nimirum, & *meditatione* ideas omnes proficiſci autumarunt;] proindeque ideae aliquae innatae, ingenitaeque ſunt admittendae, rerum ſcilicet incorporearum; cum intimo conſcientiae noſtrae teſtimonio experiamur, nos per puram intellectionem ſine ullo corporeae imaginis adiumento plura percipere, nempe noſtras cogitationes, affectioneſque, Iuſtitiam, Veritatem &c. Carteſius tertia Meditatione Metaphyſica, habita ratione originis idearum, tria genera diſtinguit; quaſdam enim *innatas*, alias *adventitias*, alias *factitias* appellavit. *Innatae* ideae dicuntur illae, *quae menti noſtrae ſtatim ab ortu ſine opera noſtra inſeruntur*; ſive quae nobis a primo vitae momento ad extremum uſque, quoties intendit animus, ſemper praeſto ſunt, ac percipiun-

deliramenta habere, reſpuere, atque averſari debemus, cum ipſae interiori hominum ſenſui vel conſcientiae omnino adverſentur. Cogitationem enim materiae affingere, ſimilis amentiae eſt, ac ſi quis circulo quadraturam, aut triangulo rotunditatem tribueret.

Ariſtotelis vero, eiuſque ſectatorum mitior eſt opinio; mentem enim humanam ſpiritalem eſſe fatentur; praeterea hanc mentis ipſius naturam eſſe arbitrantur, ut nullam in ſe rerum imaginem, aut ideam impreſſam habeat, ſed tabulae raſilis *inſtar, in qua nihil depictum ſit, a corporeis ſenſibus omnes rerum imagines acquirat. Hinc celeberrima ſunt apud Peripateticos effata illa:* intellectum eſſe tabulam raſam; nihil eſſe in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu; numquam animam intelligere ſine corporeo phantaſmate. *Ariſtotelicis concinit Petrus Gaſſendus* Iſtitutionum Logicarum par. 1. can. 2.

piuntur ſine ulla corporis ope, ante omnem experientiam, & ratiocinationem [1]; cuiuſmodi ſunt ideae *Dei*, *exiſtentiae*, *unitatis &c.* *Adventitiae* eae vocantur a Carteſio, *quae a rebus externis nobis adveniunt*, ut ſpecies *fluminis*, *montis &c.* *Factitiae* denique illae dicuntur, *quae a mente ex ideis iam comparatis efformantur*; ut ſi mens ideam *hominis*, *aureae coronae*, *ſceptri*, *paludamenti*, *ſatellitii &c.* componat, atque ideam *Regis* acquirat; idea haec compoſita eſt mentis arbitrio, & factitia nuncupatur.

DE IDEIS REFERENDO ILLAS AD SUAS AFFECTIONES.

CAP. III.

IDeae non ſolum dividi poſſunt ratione ſuae originis, verum etiam ſuarum affectionum. Eiuſmodi idearum contemplatio quadripartitam exhibet diviſionem. Etenim aliae ſunt *clarae*, aliae *diſtinctae*, nonnullae *completae*, *& adaequatae*. Ideam claram, atque perſpicuam eam appellant Philoſophi cum Carteſio, *quae lucet per ſe*, *ac ſola mentis attentione innoteſcit*; ſicuti quoque clara erit idea, cum rem ita percipiemus, ut eam, ſi iterum ſeſe offerat, ab aliis facile ſecernamus: ut maxime clara eſt idea, quam quiſque ſui ipſius habet, ſuarum-

que

(1) *V. Genu. Log. pag.* 108. §. 3.

que cogitationum ; claram etiam Dei ideam nobis eſſe dicimus , quatenus ſufficit ad Attributorum numerum in eo detegendum , quae nullibi quam in ipſo reperiri certiſſime novimus . Aliquando rem ita percipimus , ut eam , cum iterum ſe offert , ab aliis facile ſecernamus : ſentiens quis lilii odorem , eumque a roſae , vel alterius floris odore , quoties occurrit , ſecernere valens , ideam habet claram illius odoris ; quod ſi res una ab alia nequeat diſtingui , idea haec erit obſcura . *Obſcuram* vocant , *quae menti attendenti non ſtatim liquido apparet* , vel cum res una ab alia diſcerni nequit : ut idea *modi* , *quo corpus* , *& mens inter ſe in homine iunguntur* ; non ſtatim menti noſtrae conſpicua eſt ; quemadmodum obſcura quoque vocari poterit idea Dei , habita ratione illius , quam habent Beatorum mentes in Caelis . Exinde autem illud inferri poſſe videtur , quod ſicuti voces internos mentis noſtrae conceptus , atque ideas exprimunt ; (*verbum* enim , ut inquit Auguſtinus , *quod foris ſonat* , *ſignum eſt verbi* , *quod intus latet*) voces pariter idearum inſtar clarae , vel obſcurae eſſe poterunt : ut voces iſtae *Sol* , *Homo* , *Leo &c.* , & notiones, quas excitant, perſpicuae ſunt ; ut ſi animal exoticum aſpicientes haereamus , num idem ſit , atque aliud , quod olim intuiti fuerimus , eius idea , atque nomen obſcurum erit . Ut igitur notio clara eſſe poſſit , ſufficientem habeat numerum notarum ad rem agnoſcendam , & ab aliis diſcernendam , neceſſe eſt .

Notionis perſpicuae indicia , atque notae duplici ratione poſſunt conſiderari ; aut enim certas notas , quibus

 res

res occurentes diſtinguere ab aliis poſſimus, in numerato habemus; aut illas oſtendere, & enumerare non poſſumus. Hinc oritur notionis clarae diviſio, primo in *diſtinctam*, cum notae illae a nobis diſtinguuntur, & enumerantur: ſecundo in *confuſam*, cum eae oſtendi, atque numerari nequeunt. Itaque cum noverim triangulum ab aliis figuris geometricis linearum numero, quibus incluſum eſt, & angulorum, quos continet, poſſe diſtingui; eius non modo claram, ſed & diſtinctam habere ideam dicor. At ſi colorem flavum a nigro ſatis poſſim diſcernere, non autem oſtendere notas, per quas unum ab altero diſtinguam; idea haec perſpicua quidem erit, ſed confuſa. Complures tamen habentur ideae, quae licet clarae nequeunt in ſuas partes reſolvi, proindeque confuſae manent, quas *ſimplices* vocant Philoſophi, easque partim *ſenſibus*, partim *meditatione* progigni docent. Ad primam claſſem referuntur ideae *colorum*, *odorum*, *ſaporum* &c. Ad alteram ideae *Dei*, *unitatis*, *exiſtentiae*, *veritatis &c.*, & id genus aliae abſtractae, ſimpliciſſimae quidem, quod nullae omnino partes in iis concipi, vel eſſe poſſint, quin ſtatim Dei, unitatis, exiſtentiae, veritatis idea deſtruatur.

Verum fieri profecto poteſt, ut nonnullis in rebus notas omnes numerare poſſimus, vel aliquas tantummodo. Quapropter ſi idea omnes exhibeat notas, quae rem unam ab aliis in quolibet eventu, & loco, & tempore ſecernunt, *completa* dicitur: ſi aliquas dumtaxat complectatur, erit *incompleta*: unde ſi dicerem: homo eſt vivens

vens quod loquitur, intelligit, ratiocinatur, & omnino libere operatur, idea haec erit diſtincta ſimul, & completa: ſi vero hominem eſſe bipedem, erecta facie incedere affirmarem, idea eſſet incompleta; nam belluae quaedam ſunt, quae & bipedes, & erecta fronte incedunt.

Singularum tandem notarum, quae in completa alicuius rei idea continentur, aut habemus notionem diſtinctam, vel confuſam: ſi confuſam, tunc *inadaequata* dicitur illius rei idea; ſi diſtinctam, *adaequata* vocabitur. Ita ex. cauſſ. notae illae, quibus ignis ab aliis materiis diſcernitur, ſunt lux, calor, potentia incendendi, ſolvendique &c. Iſtarum ſi quis diſtinctam habeat ideam, adaequatam etiam ignis ipſius notionem habebit; ſin minus, inadaequatam. Debemus hanc doctrinam Leibnitio, quam deinde ſequutus eſt, atque illuſtravit Chriſtianus Wolfius.[1]

DE IDEIS REFERENDO ILLAS AD OBIECTA

CAP. IV.

Tertia idearum diviſio ex obiectorum contemplatione dimanat. Tunc idea dividitur ratione obiecti, cum pro varietate rerum, quae menti obiiciuntur, diſpeſcitur. Diviſio huiuſmodi triplex eſt apud Logicos: primo enim dividi ſolet in *ſimplicem*, & *complexam*. Simplex dicitur illa, quae in plures diſtinctas notiones re-

 ſo-

ſolvi nequit, cuiuſmodi ſunt ideae Dei, unitatis, atque id genus aliae, ut in capite ſuperiori adnotavimus. Complexa vero quae plures diſtinctas notiones in ſe continet, ut idea hominis, quatenus ſub ratione animalis rationalis ille concipitur; duae quippe ſunt in ea notiones diſtinctae, *animalitatis* ſcilicet una, *rationalitatis* altera.

Secunda idearum diviſio ex obiectis ipſis dimanans tripartita eſt. Etenim quidquid menti obiicitur vel eſt res, vel modus, vel res modo aliquo affecta. Res, ſive ſubſtantia eſt illud *ens, quod intelligitur eſſe per ſe, & independenter ab alio*; ſcilicet quod ſine alio concipi, aut exiſtere poteſt: quemadmodum optime intelligimus lapidem, arborem, etſi nullum aliud corpus concipiamus; intelligimus etiam, lapidem independenter ab alio quocumque corpore exiſtere poſſe (1). Modus, vero eſt illud *ens, quod concipi, vel exiſtere non poteſt independenter ab alio*; ut motus, calor &c. intelligi, vel exiſtere nequit, niſi ad aliquod ſubiectum, cui inhaereat, referatur (2). Res modo affecta eſt *ſubſtantia ipſa cer-*

(1) *Peſſime ergo Benedictus Spinoza ſubſtantiam definivit* rem a ſe ſubſiſtentem. *Unde totum pantheiſmi ſyſtema [de quo fuſius in Metaphyſica diſſeremus, quodque confutabimus] uni huic falſae definitioni inaedificatum ſua mole ruit.*

(2) *Modorum alii ſunt* reales, *aut* poſitivi; *alii* negativi. reales, & poſitivi *vocantur illi, qui exprimunt perfectionem aliquam ſubſtantiae inhaerentem, ut* ſapientia, ſoliditas,

certo quodam modo conformata , ut *lignum rotundum* .

Tertio tandem idea dividitur pro varia extenſione rerum ; quas refert , in *ſingularem* , *particularem* , *univerſalem* . Primo itaque notiones , quae rem aliquam intellectui ita exhibent, ut alteri conveniri nequeant; vel potius quae nobis rem ipſam ſiſtunt in individuo , ut *Platonem* , *Ariſtotelem &c.* ſingulares dicuntur . Secundo quae ſingularem quidem rem menti proponunt , ſed incertam , atque indeterminatam , particulares vocantur ; veluti ſi ex aliquo loco confuſam hominis vocem , aut gemitum audiam , idea hominis dolentis in me excitetur , ſed quis ille ſit , me lateat ; notio haec particularis erit . Tertio denique quae pluribus rebus poſſunt convenire , ſeu res complures repraeſentant , univerſales vel communes ſolent appellari , ut idea *hominis* , idea *animalis &c.*

tas , calor *&c.* Negativi , *qui exprimunt privationem alicuius perfectionis* , *ut* tenebrae , mors . *Hic tamen obſervandum eſt* , *quod nonnulli modi poſitivi* , *&* *reales negativis nominibus exprimuntur* , *ut* infinitas , immortalitas ; *cum enim modos plurimos* , *vel proprietates indicare non poſſimus* , *negative exprimere illas ſolemus affirmando quid non ſint* , *ut immortale ſignificat id* , *quod mori non poteſt* . *Alii denique ſunt* veri , *alii* apparentes . Veri *dicuntur* , *qui neque concipi* , *neque exiſtere poſſunt* , *niſi in aliqua re* , *veluti in ſubiecto* , *ut* albedo , rotunditas . Apparentes , *qui licet ab illa re* , *cui tribuuntur* , *diverſi concipiantur* , *ab ea tamen non diſtinguuntur* ; *ſic quamvis* humanitas *concipiatur veluti modus* , *qui in homine reperiatur* , Divinitas *in Deo &c.* ; *Divinitas tamen eſt ipſe Deus* , *& humanitas ab homine non diſtinguitur* .

lis &c. Notio univerſalis, quae attributum aliquod univerſale complectitur, ad quinque genera revocatur a Porphyrio in Iſagoge, ſeu Introductione ad decem Ariſtotelis (1) Categorias; quae de quinque ideis, aut vocibus uni-

(1) *Ariſtoteles Philoſophiam univerſam primus in ordinem digeſſit, eamque certa methodo tractavit, a Libro praedicamentorum, ſive categoriarum Logicae ſuae initium dedit, exiſtimans eá omnia, quae mente concipi, ac de ſubſtantia ſingulari quaeri, praedicari, vel affirmari poſſunt, ad decem ſuprema genera, vel praedicamenta revocari poſſe, quae his etiam verſibus artificioſe comprehenduntur:*

Arbor, ſex, ſervos, fervore, refrigerat, uſtos,
Ruri, cras, ſtabo, ſed tunicatus ero.

Itaque iuxta Ariſtotelem decem veluti claſſes, & ſuprema capita, ad quae referuntur omnia ſubſtantiae ſingularis praedicata, ſunt haec: 1. Subſtantia, 2. Quantitas, 3. Qualitas, 4. Relatio, 5. Actio, 6. Paſſio, 7. Ubi, 8. Quando. 9. Situs, 10. Habitus.

Subſtantia *eſt* Ens per ſe ſubſiſtens, *ut Deus, homo.*

Quantitas *eſt* extenſio in partes, *eaque vel* continua, *ut tempus, magnitudo, linea; vel* diſcreta, *ut numerus.*

Qualitas *eſt* accidens, per quod ſubſtantia dicitur qualis; *ut per calorem calida, per albedinem alba &c.*

Relatio *eſt* ordo, *ſeu* reſpectus unius ad aliud, *ut filii ad patrem, Regis ad ſubditum.*

Actio *eſt* actus agentis.

Paſſio *eſt* actus agentis in patiente receptus, *ut calefactio, quatenus eſt ab igne, dicitur* actio; *quatenus eſt in ligno, dicitur* Paſſio.

Ubi *eſt* eſſe in loco, *ſcilicet Romae, Pariſiis.*

Quando *eſt* eſſe in tempore, *ut quando vixit? decem ab hinc annis &c.*

Si-

univerſalibus vulgo inſcribitur, quia ex iis omnis de re qualibet enunciatio profluit. Plura quidem in eo opere ſcripſit Porphyrius (1) Catholicae Fidei plane adverſantia, penituſque abſurda: ſed cum accurate univerſalium idearum numerum, atque naturam explanaverit, digna habita fuit pars haec, quae ab omnibus reciperetur, & magno in ſcholis apparatu traderetur. Huius doctrina de quinque ideis univerſalibus ad ſequentia revocatur capita; ad *Genus* nimirum, (ita enim vulgo praedicantur) ad *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, & *Accidens*; etenim vel genus exhibetur ab idea, vel ſpecies, vel differentia, vel proprium, vel accidens. Tribus prioribus modis, ut patebit, attributa illa enunciantur, quae ad ſubiecti eſſentiam pertinent; duobus vero reliquis ea praedicantur, quae extra illius eſſentiam exiſtunt. Genus eſt at-

---

Situs *eſt* diſpoſitio partium corporis ratione ſpatii, *ut ſedere, ſtare, ambulare*.

Habitus *eſt* relatio corporis ad veſtem, *ut eſſe togatum, armatum &c.*

(1) *Porphyrius illius operis auctor natione fuit Iudaeus, Tyro oriundus, Malchus primum, ideſt lingua patria Rex, deinde Porphyrius nempe* purpureus *dictus a veſtis purpureae uſu. Chriſtianae Religioni nomen dederat, quam poſtea eiuravit. Profeſſione fuit philoſophus, ſecta Platonicus, Plotini diſcipulus, Origenis condiſcipulus, Iamblychi praeceptor, vixitque ſaeculo chriſtiano tertio. Hanc ſcripſit Iſagogen in gratiam adoleſcentis Romani nomine Chryſaorii falſorum Numinum cultoris circa Diocletiani tempora. Ita Eunapius* in vitis Sophiſt. p. 12., & *Socrates* Hiſt. Eccl. l. 3. c. 23.

attributum univerſale , *quod pluribus ſpeciebus convenit* , ut *animal* convenit duabus hominum , ac brutorum ſpeciebus ; *figura* triangulo , & quadrato . Hinc liquet , genus continere ſub ſe ſpecies , uti animal continet ſub ſe hominem , ac leonem . Species vero eſt *attributum* , *quod multis competit individuis* ; ex. cauſſ. *homo* eſt attributum , quod Socrati , Ariſtoteli , ceteriſque individuis [1] convenit , tam-

(1) Individuum *ſeu* ſingulare *dicitur* , *quod ſub ſpecie contentum dividi nequit in plura talia* , *quale ipſum eſt* . *Socrates non poteſt in duos Socrates ſecari* , *etſi in partes dividi queat* . *Porro licet individua eiuſdem ſpeciei in tota eſſentiae amplitudine conveniant* ; *aliquid tamen in iis exiſtit* , *per quod unum ab altero differt* . *Hoc itaque* individualis ſubſtantia *vulgo a Scholaſticis nuncupatur* . *Omiſſis autem tricis* , *iuvat aſſerere* , *eam optime deſignari per quamdam proprietatum* , *circumſtantiarumque congeriem* , *ut eadem prorſus in duobus reperiri minime poſſit* . *En igitur quae individualem hominis naturam deſignant* , *atque exprimunt ſequenti hexametro* :

Forma , figura , locus , tempus , ſtirps , patria , nomen .

Haec autem adeo ſunt bene excogitata , *ut nihil magis* ; *quemadmodum ea levi etiam manu* , *ut inquiunt* , *expendendo* , *patere profecto poteſt* . *Nam per* formam *intelligitur temperamentum* ; *per* figuram *externa partium diſpoſitio* ; *per* locum *ea telluris pars* , *aut regio* , *in qua quis ſuos duxit natales* : *per* tempus *momentum* , *quo conceptus homo fuit* , *atque in lucem editus* ; *per* ſtirpem *parentes* , *e quorum genere fluxit* ; *per* patriam *civitas* , *provincia* , *vel regnum* ; *per* nomen *denique vocabulum illud* , *quod ſibi quiſque ex more impoſuit* . *Nullus vero eſt* , *qui non videat* ,

tamquam tota eorum eſſentia. Itaque patet, ſpeciem continere in ſe genus (1). Differentia generatim ſumta *eſt id, quo unum differt ab alio*. Tribus autem modis alterum ab altero differre poteſt, attributo nempe eſſentiali ac primario, quod *differentia eſſentialis, ac ſpecifica dicitur*; attributo eſſentiali quidem, ſed ſecundario, quod *proprietas* ſolet nuncupari; attributo tandem aliquo accidentario, quod *accidentis* nomine deſignatur (2). Differentia eſſentialis, & ſpecifica eſt *attributum eſſentiale, ac primarium, quo una ſpecies ab alia ſeiungitur*; ut duae hominis ac leonis ſpecies diſtinguuntur inter ſe attributo illo primario, quod eſt ratio, eiuſque uſus in homine, cum homo ipſe definiatur *Animal Rationale*; id vero eſſentialis eſt differentia, qua a belluis homo ſecernitur (3).

Pro-

---

deat, fieri nullo pacto poſſe, ut duo homines in hiſce omnibus plane conveniant.

(1) *Quod apud Philoſophos* ſpecies *eſt, Iuris Interpretes genus appellant: quod* individuum, *ſpeciem nominant.*

(2) *Triplex alia differentiae diviſio a philoſophis adſignatur*, generica, *quae genus a genere diſcernit;* ſpecifica, *quae ſpeciem a ſpecie;* numerica, *quae individuum ab individuo.*

(3) *Duo corollaria ex allata definitione eruuntur.*

I. *Differentiam ſpecificam duos habere reſpectus, alterum quidem ad genus, quod dividit; alterum ad ſpeciem, quam conſtituit.* Rationale *conſtituit ſpeciem, nempe* hominem. Irrationale *alteram conſtituit ſpeciem, nempe* belluam.

II. *Differentiam addere aliquid generi, quod vel poſitivum, vel negativum eſt.* Rationale *v. g. aliquid addit poſitivum animali;* irrationale *addit negationem rationis in bellua.*

Proprium, vel proprietas eſt *attributum eſſentiale ſecundarium, quod alicui ſpeciei omni, ſoli, ſemperque convenit*; ut *ſermocinandi facultas* eſt hominis attributum non primarium, ſed ſecundarium; ſicuti quoque *veri inquirendi cupiditas* hominis proprietas eſt, quae illi ideo competit, quia ratione donatur [1]. Accidens demum definitur in ſcholis, *id, quod adeſt, vel abeſt ſine ſubiecti, quod efficit deſtructione*, quemadmodum *figura ſphaerica* poteſt marmori adeſſe, vel abeſſe, quin illius deſtruatur eſſentia [2].

Nuperis tandem temporibus philoſophi, ii praeſertim qui

---

(1) *Proprium quatuor modis apud Porphyrium dicitur.*

I. Quod ſoli alicui ſpeciei convenit, non omni; ut ſoli homini, non omni convenit eſſe Iuriſperitum.

II. Quod convenit omni, ſed non ſoli; ut omni homini eſſe bipedem, non tamen ſoli, cum id etiam avibus ſit commune.

III. Quod ſoli, & omni, ſed non ſemper; ut actu ſermocinari, ſive colloqui, ſoli, & omni homini, ſed non ſemper convenit.

IV. Quod omni, & ſoli, & ſemper; ut capacitas ſcientiae, colloquendi facultatem habere, omni, ſoli, ſemperque homini convenit; ita quoque omnis circuli, & ſolius circuli, & ſemper proprium eſt, ut omnes lineae a centro ad circumferentiam ductae aequales ſint.

(2) *Notandum tamen eſt, quaedam accidentia a proprio ſubiecto ſeparari vix poſſe, ut* candor *a* Cycno, nigredo *a Corvo, & ab Aethiope, & nihilominus accidentia nuncupari, cum ſeparari poſſit per mentem nigredo ab homine Aethiope, & de eo negari abſque eo quod hominis deſtruatur eſſentia.*

qui Platonis doctrinam denuo exſuſcitarunt, ſeptem Categorias, vel ſuprema rerum genera conſtituerunt his duobus verſibus comprehenſa :

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Dicunt enim Philoſophi iſti : quidquid animo concipitur vel eſt *Ens*, aut *Entis affectio* ; quae quidem ſunt duo ſumma genera, vel ſupremae categoriae. Sub communi *Entis* genere duplicem ſubſtantiae ſpeciem, *incorpoream* nempe, atque *corpoream*, & inſuper quinque modorum claſſes contineri affirmarunt. Mentis nomine ſubſtantia ſpiritalis intelligitur ; veluti *Deus*, *Angeli*, *Animus humanus*. *Menſura* quantitatem denotat, extenſionem nempe in partes. *Quies* permanentiam corporis in loco, in quo reperitur. *Motus* migrationem corporis ex uno in alium locum. *Poſitura* partium ordinem, texturam, diſpoſitionem illam, quae intima eſt, quaeque variari nequit, quin eadem ſubſtantia varietur : ita *lignum* a *lapide* per variam texturam, & ordinem partium differt, cum in utroque materia ſit una. *Figura* partium diſpoſitionem, quae exterius apparet, quaeque incolumi rei ſubſtantia variari poteſt ; quod quidem patet in *cera*. *Materia* corpoream ſubſtantiam deſignat. Haec autem ſeptem rerum genera *ſunt cunctarum exordia rerum*, quia nihil concipi poteſt, quod in eiuſmodi rerum generibus non comprehendatur. At de Univerſalibus Porphyrianis, recentiorumque Philoſophorum Categoriis, quae tanto apparatu in ſcholis exponuntur, pluſquam ſatis.

DE

DE IDEARUM SIGNIS, AC VOCIBUS.

CAP. V.

CUm humana ſocietas ſtare non poſſit, niſi homines ea, quae mente percipiunt, ſibi invicem aperiant; & tanta proinde ſit idearum noſtrarum cum ipſarum ſignis, ac vocibus neceſſitudo (1), ut difficillimum ſit hominum ſenſa intelligere, ac rerum notitiam habere ſine vocabulorum ſcientia; nonnulla dicamus oportet primum de idearum ſignis ac vocibus, deinde vero de illarum proprietatibus, atque ſpeciebus. Itaque, ut altius res repetatur, ſignum a Divo Auguſtino (2) definitur, *Res, quae praeter ſpeciem ſui, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe facit in cognitionem venire*. Hinc duas ideas ſignum complectitur, alteram quidem ſui ipſius, alteram vero illius rei, quam ſignificat. Et primo ſignum habita ratione rei ab ipſo ſignificatae dividitur in *certum*, ut reſpiratio eſt ſignum certum vitae; in *probabile*, veluti canities ſenectutis; in *incertum*, ut

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laeſus;
Rem magnam praeſtas, Zoile, ſi bonus es.

Tri-

---

(1) Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum, iuvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit, & angit;
Poſt effert animi motus interprete lingua. *Hor. Ar. P. v. 108.*
Cratylus, & Epicurus putabant, voces eſſe ſigna naturalia, quod in vocibus multis magnam notarent cum rebus affinitatem. Plat. *in Cratyl.* Laert. *lib.* 10. *ſeq.* 75.

(2) *Lib.* 2. *de Doctr. Ch. cap.* 1.

Triplex aliud ſigni genus habetur ex re, quam ſignificat, dimanans: aliud enim *diagnoſticum* vel *demonſtrativum* dicitur, ſi res ſignificata praeſens ſit; ita ex vultu, voce, ac geſtu hominem iratum intelligimus; *prognoſticum* aliud, ſi futura; caelum gravidum nubibus aquilonis vi advectis pluviae imminentis ſignum eſt: ſi praeterita, *rememorativum* ſeu *memoriale* appellatur ſignum; humido ſolo pluviam delapſam eſſe comprehendimus. Tertio denique ſignum in *verum*, atque *falſum* diſpeſcitur: ſi cum re ſignificata conſentiat, verum eſt; veritas enim ſigni eſt illius convenientia cum re ſignificata: ſi autem ab ea diſſentiat, falſum erit; ſigni enim falſitas eſt illius diſcrepantia a re, quam ſignificat.

Quod ſi in ſe ipſo ſignum ſpectetur, duplex oritur diviſio. Aliud enim *phyſicum*, ſeu *naturale*; aliud *theticum*, ſive *arbitrarium*. *Naturale* illud eſt, quod natura ſua quidpiam ſignificat; ſicuti fumus ignem denotat. *Arbitrarium* vero eſt illud, quod ex hominum arbitrio dumtaxat inſtitutum eſt; ut laurus ad fores appenſa cauponam deſignat: ſive etiam, ut exemplum argumento, quod tractamus, accommodatius adhibeamus, voces vel literis conſignatae, vel ore prolatae cogitationes, ac res ipſas ſignificant; vox etenim definiri ſolet, *ſignum, quo ſuas quiſque cogitationes exprimit*[1];

 quam-

(1) *A Scholaſticis tamen definitur*, ſonus articulatus ab homine prolatus, ad exprimendas animi cogitationes inſtitutus. *Dicitur eiuſmodi ſonus* articulatus, *ideſt per ſyllabas*, *quaſi* per articulos *diſtinctus*; *ut a confuſis bruto-*

quamquam non unica eſt rerum per voces ſignificandarum inventa ratio, cum alii ſymbolicis characteribus, ut Aegyptii; alii animalium, aliarumque rerum imaginibus, ut adhuc Aſtronomi; nonnulli cyfris, ut Arabes, & Arithmetici; nonnulli vero aliis rebus uſi ſunt.

Hic autem praetereunda minime eſt vetus illa controverſia a compluribus philoſophis agitata, utrum voces ſint arbitraria ſigna, vel potius naturalia tum cogitationum, tum ipſarum rerum, quae ab ipſis deſignantur. Priuſquam vero eiuſmodi problema a doctiſſimo P. Iacquier copioſe, eleganterque tractatum dirimamus, illud eſt in anteceſſum notandum, quod naturale ſignum ab hominum arbitrio non pendet, proindeque neceſſarium quoque dicitur, quod poſito ſigno naturali, conſtituitur etiam res ipſa ſignificata; unde naturale ſignum continet in ſe rei ipſius ſignificatae rationem. His praenotatis, ſtatuimus iuxta communiorem, ac rationi magis conſentaneam opinionem, voces eſſe ſigna dumtaxat arbitraria tum cogitationum noſtrarum, tum ipſarum rerum. Et I. ſigna arbitraria ſunt voces; quia ut Ens perfectiſſimum exprimatur, hebraice *Jehovah*, latine *Deus*, graece Θεὸς, germanice *Gott*, polonice *Bog* dicitur; quae quidem vox apud Anglos idem ſonat, ac *Voraginem*. Patet igitur, voces ad rem

---

torum vocibus ex. gr. mugitu boum, balatu ovium, equorum nitritu, canum latratu &c. ſecernatur. Adiicitur ad exprimendas animi cogitationes inſtitutus, *ut a pſittacorum, vel picarum vocibus ſuas temere effundentium dictiones diſtinguatur.*

rem quamlibet deſignandam indifferentes eſſe, atque ex hominum inter ſe ſocietate devinctorum conventione, & conſuetudine ſignificandi vim habere. Praeterea ſi vetera noſtri idiomatis monumenta perlegamus, vocabula offendemus, quae iam ſunt obſoleta, quaeque fortaſſe minime intelligemus: adeo verum eſt, vocabulorum ſignificationem ab hominum conſtitutione pendere [1]. II. Additur quoque, voces tum cogitationum noſtrarum, tum ipſarum rerum eſſe ſigna: cogitationum, quia exploratum, & evidentiſſimum eſt, nos per voces patefacere cogitationes noſtras, aliorumque ideas perfecte adſequi: tum rerum ipſarum, quoniam notiones noſtrae nihil aliud profecto exhibent quam res, & obiecta; veluti dum vox iſta *Sol* effertur, aut ſcribitur, & ſolis ideam, & rem ipſam hoc nomine repraeſentatam exhibet; unde conſtat, voces rerum etiam ab ideis repraeſentatarum ſigna eſſe debere. Pro huiuſce controverſiae coronide illud eſt ſubnectendum, plures eſſe in variis linguis voces, quae praeter primariam ſignificationem, aliam quoque ex conſuetudine habent acceſſoriam, qua fiunt nonnullae obſcoenae vel impudentes, aliae honeſtae aut verecundae; quidquid in contrarium ſenſerint Stoici, qui, referente Tullio [2],

 ni-

(1) *Plurimum uſui, ac hominum conſuetudini in verbis interpretandis tribuendum eſt: Leg.* Ut Alphenus *ff. de V. S. Eleganter iuxta ac vere Horatius in Arte Poetica*:
Multa renaſcentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc ſunt in honore, vocabula, ſi volet uſus:
Quem penes arbitrium eſt & ius, & norma loquendi.
(2) *Epiſt.* 22.

nihil eſſe obſcoenum, nihil turpe dictu exiſtimabant. Et re quidem vera per hanc vocem, ex. cauſſ. *mentiris*, nihil aliud ſignificatur primario, quam loqueris contra id, quod ſentis; ſed ex conſuetudine quidam contemtus, vel odii affectio voci huic *mentiris* annectitur, qua fit, ut quiſque ſoleat voce illa offendi; non tamen ſi dicatur: *loqueris contra id, quod ſentis*. Itaque voces praeter primariam, acceſſoriam alteram ſignificationem ex uſu habent adiunctam.

DE VOCUM SPECIEBUS.

CAP. VI.

Dictionum, ſeu vocum ſpecies, quibus humana ſermocinatio continetur, octo a Grammaticis enumerari conſueverunt, ex quibus tamen duae principem locum tenent, cum quod ſaepius illis utamur, tum etiam quod ceterae ad ipſas revocari facile poſſunt, *Nomen* ſcilicet, & *Verbum*: primum ideas; alterum iudicia, ambo ſimul cogitationes noſtras exprimentia. Nomen igitur *eſt dictio inſtituta ad exprimendas ideas, vel idearum obiecta*; cuius generis ſunt *homo*, *leo* &c. (1). Verbum *eſt voca-*

(1) *Nominis loco uſurpatur ſaepe* pronomen, *ut* ego, tu &c., *quod ideam quoque ſignificat. Idem de* adverbio *ſentiendum eſt, cum adverbium hoc* iuſte *ſignificet* cum iuſtitia &c. *Idem de* participio *intelligi debet, quod, ut ipſa vox ſonat,*

vabulum ad exprimenda iudicia, ſive ad ſignificandam affirmationem primario inſtitutum; quemadmodum *ſtudeo*, *dormio &c.* dixi *primario inſtitutum*, quod in ſolo indicativo iudicium proprie exprimit; in aliis autem modis varios potius mentis affectus indicat, ut in imperativo imperium, in optativo [1] deſiderium &c. Nomen aliud eſt *ſubſtantivum*, ſeu *abſolutum*; aliud *adiectivum*, vel *connotativum*. Nomen ſubſtantivum ſubſtantiam, ut *Deus*, *Angelus*, vel ſubſtantiae modum deſignat, ut *ſobrietas*, *prudentia*. Nominibus ſubſtantivis illud proprium eſt, quod comparativum, & ſuperlativum gradum non ſuſcipiant; id vero Ariſtoteles aliis verbis expreſſit, dum ait: *ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus*. Adiectivum, aut connotativum rem certo modo affectam exprimit, ut *prudens*,

 iu-

nat, nominis, ac verbi conditionem participat; ſimplices enim ideas ſine ullo iudicio exprimit, inſtar nominis; ſed temporis quoque differentias cum verbo ſortitur, ut amans, amatus, amaturus, &c. *non amorem ſolum ſignificat, ſed tempus etiam, in quo amor exerceatur*:

(1) *In* ſubiunctivo *affirmationem quidem verbum ſignificat, verum non abſolutam, ſed conditionalem, & alteri ſubiunctam. Infinitivus modus revocari poteſt aliquando ad verbum, cum retinet affirmationem, ut cum dicitur* ſcio, Deum eſſe amandum; *aliquando vero ad nomen, cum non retinet affirmationem, ut* ſcire tuum nihil eſt. Gerundia *quoque ſunt nomina ſubſtantiva nihil addentia infinito, quam neceſſitatem aliquid* gerendi, *unde* gerundii *nomen ductum; ut cum dicitur*, eſt legendum, *idem penitus eſt, ac ſi diceretur*, oportet legere. Supina *itidem nomina ſunt ſubſtantiva loco infinitivi poſita, ut* veni caenatum *idem ſignificat, ac* veni caenare.

iuſtus. Dividitur quoque in *abſtractum*, & *concretum*: abſtractum illud eſt, quod modum aliquem, vel formam ab omni ſubiecto ſeiunctam exhibet, ut *albedo*, *humanitas &c.*; quae quidem abſtractio, vel praeciſio triplici ratione fieri poteſt, & primo quidem cum res ab alia re ſeiungitur; ut ſi concipiatur caput ſine trunco: ſecundo cum res a modo, vel modus a re ſeparatur; veluti ſi corpus concipiamus ſine motu, aut motum ſine corpore: tertio demum cum modus ab alio modo diſiungitur; ut ſi motus a velocitate ſeparetur. Nomen abſtractum aeque ac concretum dirimi ſolet in *commune*, *ſingulare*, & *particulare*. Commune eſt, quod multa ſignificat, ut *homo* omnes homines comprehendit. Singulare, quod aliquid unum indicat determinatum, ſive illud proprium ſit, ut *David*, ſive alicui individuo per antonomaſiam tribuatur nomen commune; ut cum *Regius Propheta* nominatur, David ipſe intelligitur. Particulare tandem, quod aliquid unum deſignat, ſed indeterminatum, cum nempe nomini communi pronomen indefinitum praeponitur, ut *quidam homo*.

LOGICES PARS SECUNDA

DE IUDICII, AC PROPOSITIONIS NATURA, EIUSQUE DIVISIONE.

CAP. I.

Cum duas, pluresve ideas ad invicem comparamus, easque, prout inter ſe convenire, aut diſſonare animadvertimus, coniungimus affirmando, aut negando divellimus; tum *iudicare* dicimur, vel huiuſmodi cogitationis ſpecies vocatur *Iudicium* (1). Hoc autem ſi vocibus exprimatur, *Enuntiatio*, aut *Propoſitio* appellari conſuevit. Hinc propoſitio poterit recte definiri, *oratio ab hominibus inſtituta ad exprimendum iudicium*. Hanc Ariſtoteles *Interpretationis* etiam nomine notavit, quod enuntiatio exterior ſit iudicii interioris interpres. Illud itaque propoſitionem inter, & iudicium intercedit diſcrimen, quod eſt inter vocem, & ideam ab ipſa ſignificatam: & quemadmodum ideae *nominibus*, ita iudicia *verbis* tamquam ſignis declarantur. Quoniam vero duas ſaltem ideas, ut ſu-

(1) *Ubi quis percipit, quod iſtis vocibus* ſpiritus, *&* corpus *deſignatur, & quod illis* cogitans, *&* extenſum, *poteſt de ſpiritu affirmare cogitationem, & extenſionem de corpore: viciſſim vero negare extenſionem de ſpiritu, & cogitationem de corpore, affirmando ſpiritum cogitantem, & corpus extenſum; negando ſpiritum extenſum, & corpus cogitans. Hinc iudicium vocatur* mentis actio; *nam coniungere ideas affirmando, vel eas ſeparare negando; eſt* agere.

ſuperius diximus, iudicium complecti debet; propoſitio pariter iudicii interpres duabus ſemper conſtare debet vocibus, quarum una *ſubiecti*, ut aiunt, altera *praedicati*, ſeu *attributi* locum tenet; ambae ſimul *Materia*, *Terminus*, vel *Extremum* propoſitionis dicuntur: materia, quod ex illis veluti partibus propoſitio componatur: terminus, & extremum, quod ultimum in propoſitione ipſa locum obtineant. Duo haec extrema, ſeu terminos inter ſe coniungit verbum *Eſt*, utriuſque termini vinculum, nexus, copula; licet haec aeque ac ſubiectum in praedicato ſaepe latitet, proindeque tota propoſitio interdum una, interdum vero duabus vocibus conſtet. Tres igitur ſunt propoſitionis partes, *ſubiectum*, *praedicatum*, & *coniunctio*. *Subiectum* illud eſt, de quo affirmatur aliquid, vel negatur. *Attributum*, ſeu *praedicatum* hoc ipſum eſt, quod de ſubiecto affirmatur, vel negatur. Illud autem verbum *Eſt* (1), ſubiecti, ac praedicati vinculum, atque copula,

pro-

(1) *Solum itaque verbum ſive illud ſit ſubſtantivum, ſive adiectivum, eſt dictio ab hominibus inſtituta ad exprimendum iudicium*. Subſtantivum *appellatur verbum iſtud* ſum, es, eſt, *quatenus ſolum iudicium, vel ſolam attributi cum ſubiecto connexionem, non actualem rei exiſtentiam deſignat; ut cum dicitur*, Cicero eſt Orator, *ſenſus non eſt, Ciceronem exiſtere, & actu eſſe Oratorem, ſed tantum hoc praedicatum Ciceroni convenire*. Adiectivum *vero illud eſt, quod praeter connexionem attributi cum ſubiecto denotat perſonam, tempus, numerum, & actum inſuper, atque modum, ſive aliquid aliud, quod nomine aliquo exprimi queat; ut ſi dicam*, ſcribo, *non tantum ſignifico iudicium*

meum,

propoſitionis forma haberi debet. Ut igitur res exemplo magis magiſque illuceſcat; in hac propoſitione, *Deus eſt iuſtus*, Deus *ſubiectum*, iuſtus *praedicatum*, verbum vero *eſt* mentis affirmantis actum ſimplicem, in quo poſita eſt propoſitionis natura, deſignat; nimirum ideam Dei, & ideam iuſti, utpote ſibi convenientes mens coniungit. Ex dictis itaque colligitur, omnem propoſitionem vel expreſſe, vel implicite unico ſaltem praedicato, ac ſubiecto conſiſtere debere. Quod ſi plura, ſive diſtincta attributa de eodem ſubiecto (1); vel idem attributum de pluribus ſubiectis (2) affirmetur, aut negetur; tum certe unica non eſſet propoſitio, ſed totidem diſtinguendae forent propoſitiones, quot ſunt eadem attributa, ſive ſubiecta.

DE VARIIS PROPOSITIONUM SPECIEBUS.

CAP. II.

DEmonſtrata iam iudicii, ac propoſitionis natura, & utriuſque diſcrimine in medium allato, ad propoſitionis diviſionem adſignandam accedamus. Bifariam in ſcholis dividitur propoſitio, nempe ratione *materiae*, & ratione *formae*. Propoſitionis *materia* ſunt voces illae, ſi-

meum, meam perſonam, numerum ſingularem, & tempus praeſens, ſed illam inſuper exercitationem, qua characteres in charta delineo.

(1) *Pythagoras ortus eſt in Samo Inſula, ſed in Italia docuit.*

(2) *Plato, & Epicurus Athenienſes fuerunt.*

ſive, ut aiunt, *termini*; quibus veluti partibus eadem componitur. *Forma* propoſitionis eſt affirmatio, vel negatio unius de alio, quibus propoſitio ipſa, eiuſque vis tota continetur. Si igitur propoſitionis materia ſpectetur, tres praeſertim ſunt illius ſpecies; alia enim propoſitio *Simplex* eſt, alia *Complexa*, alia *Compoſita*.

Simplex ea dicitur, quae ex ſimplicibus conſtat vocibus, nimirum unicum habet ſubiectum, praedicatum unicum, unicam coniunctionem; ut *Scipio vicit Carthaginienſes* (1). Propoſitio *complexa* ea vocatur, cuius alteruter, vel uterque terminus eſt complexus, ſcilicet plures ideas complectitur; & haec duplici ſaltem conflatur propoſitione, quarum una *primaria*, altera *incidens* nuncupatur. Propoſitio itaque triplici ratione eſſe poteſt complexa: primo ratione ſubiecti; ſecundo praedicati; tertio utriuſque ſimul. Et quod pertinet ad primum, exemplum eſto illud Horatii effatum:

Beatus ille, qui procul negotiis,
[Ut priſca gens mortalium]
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni foenore.

(1) *In ſimplici propoſitione interdum latet ſubiectum, interdum praedicatum, interdum utrumque. Latet ſubiectum in hac propoſitione*, expugnavit Syracuſas; *intelligitur nempe* Marcellus.
Latet praedicatum in alia, Eroſtratus combuſſit; *intelligitur nimirum* Templum Dianae. *Utrumque vero latet in celebri illo Iuliani Apoſtatae dicto* ap. Sozomen. hiſt. Eccl. l. 5. c. 17. *qui accepto Apollinaris hominis Chriſtiani libro, ait*: legi, intellexi, improbavi.

Digitized by Google

In eiuſmodi propoſitione verbum *Eſt* ſubintelligitur, *beatus* praedicatur, ſubiectum vero complexum eſt; aliam enim in ſe continet propoſitionem, quae incidens appellatur, quaeque loco ſubiecti habet pronomen *Qui*, incidenſque ideo dicitur, quod in aliam incidat propoſitionem primariam nempe, ac principalem. Secundo complexa eſſe poteſt propoſitio in ſuo praedicato, ut ſequenti apparet exemplo: *Pietas bonum eſt, beatum faciens etiam in rebus maxime adverſis*. Tertio tandem complexa eſt propoſitio in ſubiecto ſimul, & praedicato; ut *Potentes, qui pauperes opprimunt, a Deo punientur, qui oppreſſorum eſt protector*. Hic vero illud notatu dignum cenſemus, propoſitionem incidentem vel eſſe, ut inquiunt, *explicativam*, vel *determinativam*. Cum clarius ipſa explicat quidquid in idea generali ſubiecti, vel attributi primariae propoſitionis continebatur obſcurius, *explicativa* dicitur; ex. cauſ. *Homo, qui propter Deum creatus eſt, debet indeſinenter illum diligere*: incidens haec propoſitio, *qui propter Deum creatus eſt*, explicat tantum id, quod homini cuilibet neceſſario convenit; unde etiamſi illa e propoſitione primaria ſubduceretur, vera nihilominus eſſet propoſitio ipſa primaria, ut revera eſt haec propoſitio: *homo debet indeſinenter Deum diligere*. *Determinativam* eam vocamus, quae ſubiectum, aut praedicatum, quod afficit, modo quodam coercet, atque reſtringit; ex. grat.: *homo, qui diligit Deum, mandata eius ſervat*: haec propoſitio incidens, *qui diligit Deum*, determinat hominis ſignificationem, eamque ad ſolos homines, qui diligunt Deum, reſtringit:

qua-

quapropter vera non eſſet propoſitio primaria, ſi propoſitio incidens ex ea removeretur; ſiquidem falſa eſt propoſitio iſta, *homo mandata Dei ſervat*. Incidens ergo propoſitio interdum ad maiorem explicationem, & ornatum adhibetur; interdum vero ſubiectum, aut praedicatum totius orationis, vel utrumque ſimul afficit, & modo quodam coercet. Praeterea haec incidens, ac determinativa propoſitio ſi falſa ſit, totam enunciationem complexam inficit; illa vero, nimirum explicativa non item.

Compoſita ea dicitur propoſitio, quae multiplex attributum [1], ſeu multiplex ſubiectum habet [2], vel ſimul utrumque [3]. Haec duplicis eſt generis; vel enim propoſitionis compoſitio omnibus eſt manifeſta, & tunc *explicita* vocatur propoſitio; vel abdita, & paullo obſcurior eſt, & *explicabilis*, aut *implicita* a Logicorum turba nominatur. Explicitae propoſitionis ſex genera a plerisque diſtinguuntur; alia enim *copulativa*, alia *diſiunctiva*, *conditionalis*, *cauſſalis*, *relativa*, *diſcretiva*. Copulativa [4] di-

(1) Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poetae. *Hor. Art. Poet. v. 333.*

(2) *Fides, & bona opera ſunt ad ſalutem neceſſaria.*

(3) Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur Maieſtas, & amor. *Ovid. Metam.* 2. *v.* 848.

(4) *Ab ambarum partium veritate harum propoſitionum veritas pendet; ut* Fides, & bona opera ſunt ad ſalutem neceſſaria. *Propoſitio vera non eſſet, niſi quatenus utraque neceſſaria ſunt. Si vero dicerem:* Fides, & divitiae ſunt ad ſalutem neceſſariae; *propoſitio falſa eſſet, quod divitiae neceſſariae non ſunt, licet Fides neceſſaria ſit.*

dicitur, quae ex pluribus ſubiectis, vel praedicatis conſtat per copulam affirmantem *&*, *atque*, *nec non*, vel negantem *nec* connexis; ut *mors*, *& vita in manu linguae*. Diſiunctiva [1] ea eſt, cuius membra per particulas diſiunctivas *aut*, *vel &c.* uniuntur; ſicuti *amicitia aut pares accipit*, *aut facit*. Conditionalis duas habet partes [2] in-

---

(1) *Ut hae propoſitiones* neceſſario *verae ſint*, *nihil tertium debent admittere: cum Theologi oſtendant*, *nullam in particulari eſſe actionem indifferentem*, *certum omnino eſt*, *omnem actionem a iudicio profectam aut bonam*, *aut malam eſſe*.

Illae vero moraliter *verae ſunt*, *cum nihil tertium plerumque admittunt; ut cum dicimus*: utilitate tantum, aut metu homines duci; *hoc abſolute verum non eſt*, *cum quidam neutri harum affectionum obnoxii officio tantum ducantur; proindeque non aliud elucet veritatis lumen in iſta propoſitione*, *quam quod hominum plerique has duas affectiones ſequuntur*.

(2) *Pars prior huius propoſitionis*, antecedens *dicitur; altera autem* conſequens, *quod in* mediatum, & immediatum *dividitur*. *Mediatum*, *quando nihil eſt in terminis*, *quod utramque partem coniungat*; *ut* ſi Deus eſt iuſtus, mali punientur. *Immediatum*, *quando utraque pars idem habet ſubiectum; ut* ſi pauperes non paviſti, pauperes occidiſti: *vel idem praedicatum*; *ut* ſi quidquid Deus immittit ad noſtri probationem, nobis debet eſſe carum, morbi nobis debent eſſe cari: *vel quando praedicatum primae partis eſt ſubiectum ſecundae*; ſi homo iuſtus eſt, ex fide vivet: *vel viciſſim*; ſi omnes veri Ieſu Chriſti diſcipuli renuntiant omnibus, non ſunt multi veri Ieſu Chriſti diſcipuli. *Hic non veritas propoſitionum ſpectatur*, *ut in* di-

inter ſe coniunctas per particulas *ſi*, *cum*, *dum*; ex. cauſs. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Cauſſalis [1] ea vocatur, cuius membra per particulas cauſſales *quia*, *ut*, colligantur; quemadmodum *Vae vobis divitibus, quia mercedem veſtram accepiſtis*. Ad cauſſales referuntur propoſitiones illae, quae in ſcholis *reduplicativae* appellantur, in quibus ſubiectum per particulas *prout*, *quatenus* duplicatur; veluti *animal, prout animal, ſentiendi habet facultatem*. Relativa, cuius una pars ad aliam refertur, & ab ea vim ſumit; huiuſmodi eſt celebre illud Thaletis effatum: *qualem gratiam parentibus tuis retuleris, talem a liberis tuis expecta*. Diſcretiva demum eſt illa, quae diverſa exprimit iudicia per particulas adverſantes *ſed*, *tamen* diſtincta; veluti *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*.

Extant aliae complures propoſitionum ſpecies, quarum compoſitio latens eſt, & obſcura; implicitaeque proinde dicuntur. Ipſarum potiſſimum duo ſunt genera; alia ſiquidem *excludens*, alia *comparans* propoſitio appellatur.

disiunctiva propoſitione adnotavimus, ſed tantum veritas conſequentis: *quamvis enim utraque pars falſa ſit, ſi tamen concluſio ſit legitima, propoſitio in quantum conditionalis vera cenſenda eſt*.

(1) *In cauſſali duae ſunt partes, quarum una continere debet rationem alterius ſufficientem; ſi haec ratio deſit, propoſitio aut falſa, aut inepta erit; ex. gr.* Romanum Imperium cecidit, quia Chriſtianam amplexus eſt Religionem: *falſa eſt effectus illius cauſſa, cum Chriſtiana Religio non evertat, ſed mirifice conſervet ſocietates, & Imperia*.

tur. Excludens particulas continet *tantummodo*, *dumtaxat*, *praeter &c.*; ut *Deus tantummodo eſt immenſus*: excludens haec propoſitio in alias duas reſolvitur, quarum una affirmans, altera negans eſt, atque ita exponitur: *Deus immenſus eſt, & nullum aliud Ens a Deo eſt immenſum*. Comparans vero complectitur particulas comparantes, quae ſunt *magis*, *quam*, *tanto*, *quanto*, aliaeque integras in ſe continentes propoſitiones; eiuſmodi eſt illa Thaletis: *Omnium difficillimum eſt noſſe ſeipſum*; quae quidem in duas propoſitiones poteſt reſolvi, atque ita exponi: *omnis rerum cognitio difficilis*, *ſed maxime difficilis eſt cognitio ſui*.

DE VARIIS PROPOSITIONUM SPECIEBUS HABITA RATIONE FORMAE EARUMQUE PROPRIETATIBUS.

CAP. III.

Propoſitio ſi illius *Forma* ſpectetur, quae eſt coniunctio ſubiecti cum praedicato, aut illius ab iſto diſiunctio, in *affirmantem*, ac *negantem* diſpeſcitur. Affirmans ea eſt, in qua praedicatum ſubiecto adiungitur; ſicuti *Deus eſt ſapiens*: negans, in qua praedicatum a ſubiecto removetur (1); ut cum dicitur: *Deus non eſt* *men-*

(1) *Propoſitionis* negantis *ſignum eſt negatio* non *ad copulam referenda*. *Si enim eiuſmodi negatio ad ſubiectum*, *vel* *prae-*

mendan. Praeterea in *Neceſſariam*, *Contingentem*, *Poſſibilem*, & *Impoſſibilem* ſolet a Logicis diſtribui. *Neceſſaria* (1) ea vocatur, cuius termini ſunt neceſſario coniuncti; quemadmodum *circulus eſt rotundus*; non enim poteſt rotunditas a circulo ſeiungi, quin eius deſtruatur eſſentia. *Contingens*, cuius termini haud neceſſario cohaerent; ut *homo eſt mathematicus*, poteſt enim homo ſine mathematica ſtare. *Poſſibilis*, cuius termini poſſunt ſimul conſiſtere; *ut Petrus erit philoſophus* (2). *Impoſſibilis* tan-

---

praedicatum referatur, *propoſitio non eſt* negans, *ſed* infinita, *quae vere affirmans eſt*: *ex. gr.* non attente res conſiderans decipitur; *vel etiam* Iudaei ſunt Lo-ammi, *nimirum* non populus meus.

(1) *Vocatur autem* neceſſarium *quidquid eſt*, *nec poteſt non eſſe*; contingens, *quod eſt*, *& poteſt non eſſe*; poſſibile, *quod non eſt*, *ſed poteſt eſſe*; impoſſibile, *quod nec eſt*, *nec poteſt eſſe*.

(2) *Iſtae autem enunciationes vel ſunt* abſolutae, *vel* modales.

Abſolutae, *ſi non exprimatur modus*, *quo attributum convenit ſubiecto*; *ut cum dico*: circulus eſt rotundus; *non enim dico*, *an* neceſſario, *an* contingenter *tantum ſit rotundus*.

Modales, *in quibus exprimitur modus*, *quo attributum affirmatur*, *vel negatur de ſubiecto*; *ut cum dico*: neceſſe eſt, circulum eſſe rotundum. *De his ſequentes tenendae leges*. *I. Propoſitionis neceſſariae fundamentum ſunt demonſtrationes firmiſſimae*, *ac directae*. *II. Impoſſibiles demonſtrationem exhibent indirectam*, *quam & Mathematici aliquando non negligunt*. *III. Reliquae propoſitiones*, *ſi de demonſtratione* ὅτι *quaeritur*; *raro aliam*, *quam probabilem veritatem ſuppeditant*; *quia non ſtatim quod contingit*, *aut poſſibile eſt*, *actu etiam eſt*.

Digitized by Google

tandem ea eſt, cuius termini nunquam poſſunt coniungi; ſicuti *quadratum eſt rotundum*.

Enunciationis proprietates dicuntur attributa quaedam ſecundaria, quae propoſitioni conveniunt. Eiuſmodi proprietates duplicis generis ſunt, *ſimplices* nimirum, & *complexae*. Simplices illae ſunt, quae uni ſoli propoſitioni ſeorſim ſpectatae conveniunt: complexae, quae non poſſunt niſi pluribus ſimul inter ſe collatis propoſitionibus competere. Inter ſimplices proprietates recenſentur a Logicis propoſitionum *Quantitas*, & *Qualitas*. Complexae vero ipſarum proprietates ſunt *Oppoſitio*, *Aequipollentia*, atque *Converſio*.

DE PROPOSITIONUM QUANTITATE.

CAP. IV.

QUantitas propoſitionis nihil aliud profecto eſt, quam extenſio, quam habet in ipſa propoſitione ſubiectum. Hinc propoſitio dividitur in *Univerſalem*, *Particularem*, & *Singularem*; unde patet, ex ſubiecto ſemper repetendam illius quantitatem. Fieri tamen poteſt, ut ſubiectum latiſſime pateat, ſed nullo afficiatur ſigno univerſali: tunc autem propoſitio erit *indefinita*; veluti *homo naſcitur ad laborem*: eiuſmodi autem propoſitiones indefinitae univerſalibus aequivalent, ſi fuerint in *materia*, ut aiunt, *neceſſaria*; ſicuti *homo eſt immortalis*. Si vero in *fortuita* ſeu *contingente materia*, ad particulares poſſunt revocari; ut *homo eſt Theologus*. Si igitur ſubiectum

univerſale ſit, & ſecundum totam illius extenſionem accipi debeat, [quod quidem fit, cum praefigitur una ex his particulis *omnis*, vel *nullus*] propoſitio erit *univerſalis*; ex. cauſs. *Omnis homo eſt rationis capax: Nullum creatum eſt infinitum*. Si ſubiectum particulis iſtis *quidam*, *aliquis* indeterminate notetur, *particularis* erit propoſitio; veluti *quaedam triangula ſunt inter ſe aequalia*. Demum ſi ſubiectum ad unum dumtaxat, ac determinatum individuum ſpectet, propoſitio vocabitur *ſingularis*: ſubiectum ſingulare aut indicatur nomine proprio, ſicuti *Moyſes eſt auctor Pentateuchi*; aut ſibi adſciſcit articulum *hic*, puta *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; aut denique circumſtantia quadam ſingulari deſignatur, ex. cauſs. *lapis, qui modo decidit, mortem intulit viatori*. Quadruplex illud propoſitionum genus ab ipſarum quantitate dimanans ad duplex tantummodo reſtringi facile poteſt, ad *univerſalem* ſcilicet, atque *particularem* propoſitionem. Etenim *indefinita* vel ad univerſalem, vel ad particularem eſt redigenda, ut paullo ſuperius obſervavimus: *ſingularis* vero ad univerſalem referri poteſt, ut ex ſequenti conſtat exemplo: *Auctor Pentateuchi eſt Legislator Hebraeorum*, quae quidem ſingularis propoſitio ita efferri poteſt: *quicumque eſt Auctor Pentateuchi, eſt etiam Hebraeorum Legislator* (i). Itaque propoſitiones, ſi earum quantitatem ſpectemus, aut erunt univerſales, aut particulares.

DE

(i) *Singulares propoſitiones, quae aliquid de individuo enunciant, loco* univerſalium *ſunt, quoties de forma quaeritur*.

DE PROPOSITIONUM QUALITATE.

CAP. V.

PRaecipuum propoſitionis attributum, *Qualitatis Eſſentialis* nomine a Scholaſticis diſtinctum, eius eſt affirmatio, vel negatio, quae a praedicato petitur; nam ſi iſtud ſubiecto adiungatur, enunciatio affirmabit; ſi ab eo removeatur, negabit: unde ſequitur propoſitionum veritas, aut falſitas, tamquam ſecundaria quaedam proprietas, ſeu qualitas. Etenim ſi praedicatum ſubiecto adiunctum ipſi revera conveniat, vel ſi praedicatum ab illo ſeiunctum ſubiecto ipſi repugnet, vera quidem enunciatio; ſin contra, falſa erit [1]. Eſto igitur ex. cauſſ. haec propoſitio: *Mercurius iuxta accuratiorem Aſtronomorum calculum circa ſolem tribus circiter menſibus ſuum peragit motum;* ſi reipſa Mercurius ſtato illo tempore gyrum ſuum conficiat circa ſolem, propoſitio illa conformis erit obiecto, circa quod verſatur, proindeque vera; ſecus falſa.

tur. Interdum vero ratione materiae imitari ſolent propoſitiones particulares, *quoties nimirum praedicatum non toti individuo, ſed eius parti convenit. Ita univerſali ſimilis eſt propoſitio iſta:* Socrates vixit; *particularis eſt haec:* Socrates cicutam bibit.

(1) *Veritas ergo, ut inquit Io. Andreas Schmiedt.* Metaph. p. 3. §. 4. pag. 50. *eſt* in re, *tamquam in fundamento;* in intellectu, *tamquam in ſubiecto; &* in verbis, *quibus ſenſa animi eloquimur, tamquam in ſigno.*

DE COMPLEXIS PROPOSITIONUM PROPRIETATIBUS.

CAP. VI.

EX propoſitionum *Quantitate*, quae, ut ſuperius demonſtravimus, ad duo tantum genera revocatur, nempe ad univerſales, & particulares propoſitiones, una cum *Qualitate*, nimirum cum affirmatione, ſeu negatione coniuncta, quadruplex dimanat enunciationum genus, ſcilicet *univerſalis affirmans*, *univerſalis negans* propoſitio, *particularis* quoque *affirmans*, *particularis negans* (1). Hinc vero originem ducit propoſitionum *oppoſitio*, quae prima eſt inter proprietates complexas. Oppoſitio ſolet definiri, *pugna duarum propoſitionum, quae eodem ſubiecto, eodemque conſtant praedicato*. Haec autem triplex eſt: I. vel enim enunciationes pugnant quantitate; II. vel qualitate, cuius generis vel ambae ſunt univerſales, aut par-

(1) *Plura diſputant Scholaſtici de* quantitate, *&* qualitate *propoſitionis: ad eius quantitatem revocant univerſalitatem, & particularitatem, ut aiunt, ipſiuſmet propoſitionis; ſicuti ad qualitatem referunt affirmationem, & negationem eiuſdem. Unde quatuor eſſe poſſunt propoſitionum ſpecies, quae quatuor vocalibus fuerunt ab ipſis deſignatae A, E, I, O ad memoriam ſublevandam. Litera enim A denotat propoſitionem univerſalem affirmantem; E univerſalem negantem; I particularem affirmantem; O particularem negantem, quae omnia tritis hiſce verſibus continentur:*

Aſſerit A, negat E, verum generaliter ambo,
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.

particulares ; III. vel quantitate ſimul , & qualitate . Oppoſitae inter ſe propoſitiones ratione quantitatis diſcrepabunt , cum ſcilicet particularis cum univerſali propoſitione , ſub qua continetur , comparabitur ; eaeque in ſcholis dicuntur *ſubalternae* , & a Latinis *conſequentes* ; cuiuſmodi ſunt : *omnes homines ſunt mortales ; quidam homines ſunt mortales* . Si autem qualitate pugnent , quod quidem contingit , cum ipſarum una negat , altera affirmat ; vel ambae univerſales ſunt , & dicuntur *contrariae* ; ex. cauſſ. *omnes Planetae ſunt corpora opaca ; nullus Planeta eſt corpus opacum* : vel ambae ſunt particulares , & vocantur *ſubcontrariae ;* ut *quidam homines ſunt iuſti ; quidam homines non ſunt iuſti* . Si quantitate tandem , & qualitate pugnent , cum nempe ipſarum altera univerſalis affirmans , altera vero particularis negans eſt ; vel etiam cum propoſitio prima eſt univerſalis negans , ſecunda autem particularis aiens , *contradictoriae* dicuntur : ex. gr. *omnis homo eſt ſapiens* ; *aliquis homo non eſt ſapiens* . Ad contradictorias quoque revocantur ſingulares propoſitiones, quarum una neget , altera affirmet , licet eiuſdem ſint quantitatis ; ſicuti *Ariſtoteles eſt Philoſophorum princeps* ; *Ariſtoteles non eſt Philoſophorum princeps* (1).

 Ad

(1) *Apuleius* de hab. doctr. Plat. *contrarias vocat* incongruas : *ſubcontrarias* ſuppares : *contradictorias* alterutras , *quod alterutra dumtaxat vera ſit* . *Latini vero Scriptores ſubalternas appellant* conſequentes : *ſubcontrarias* contrarias particulares : *contradictorias* repugnates . *Verum ne Logicorum aures formulis illis aſſuetae nimium offendantur*, *vulgares*, *licet barbaras* , *retinuimus dictiones* .

Ad veritatem, aut falſitatem oppoſitarum propoſitionum facilius detegendam, quaedam a nobis proponi, atque obſervari debent praecepta, quae in inveſtiganda veritate, in diſputationibus inſtituendis, in diiudicandis controverſiis, evitandiſque logomachiis, ſeu verborum contentionibus, incredibilis ſunt utilitatis (1).

Et primo quidem in *ſubalternis*, ex univerſalium veritate, veritas particularium propoſitionum pendet, ſed non viciſſim; fieri enim poteſt, ut propoſitio particularis ſit vera, univerſalis falſa. Praeterea cum particulares ſunt falſae, falſae quoque erunt univerſales, ſed non e contra; falſitas enim univerſalium in materia, ut aiunt, contingenti falſas non efficit particulares. II. Quod ſpectat ad propoſitiones *contrarias*; in materia, ut inqiunt, neceſſaria altera vera, altera falſa eſſe debet: in materia contingenti ſimul quidem falſae eſſe poſſunt. *Subcontrariae* vero ambae eſſe poſſunt verae, at non ambae ſimul falſae. III. De *contradictoriis* tenenda haec regula; una ſemper vera, altera falſa eſſe debet; nunquam ſimul verae, aut ſimul falſae eſſe poſſunt (2).

Di-

(1) *Quum in controverſiis, & diſputationibus debeant contradictoriae propoſitiones defendi; ſi id non fiat, tota controverſia, ſeu diſputatio aut in λογομαχίαν deſinat, aut neuter diſputantium rem acu tetigerit, oportet.*

(2) *Quod enim affirmatur in una, eodem ſenſu negatur in altera: eadem autem res nequit ſimul eſſe, & non eſſe. Id negarunt veteres nonnulli, ut Heraclitus, Democritus, Protagoras, aliique; & maximo, irritoque conatu Sceptici.*

Il-

Dicendum modo aliquid eſſet de reliquis proprietatibus propoſitionum complexis , quae ſunt illarum aequipollentia [1] , atque converſio [2] ; eſſent pariter pro utraque ſuae leges . At cum eiuſmodi proprietates , earumque leges nullius ferme ſint momenti , & inanes omnino tunc temporis habeantur [3] , ad utiliora pergendum .

Illi aſſerebant , contradicentia poſſe ſimul eſſe vera , *propterea quod omnem negabant falſitatem exiſtimantes , quidquid unicuique videtur verum , ita eſſe . Hi vero contendebant* , contradicentia eſſe poſſe ſimul falſa , *quia omnem negabant veritatem* .

(1) *Haec* ἰσοδυναμία *Graece , Latine vero* Pariatio *dici poteſt ; a Logicis definitur* , reductio oppoſitarum propoſitionum ad eumdem ſenſum *ope particulae negativae , quae praeponitur ſubiecto contradictoriae , poſtponitur ſubiecto contrariae , ſubalternae vero ſubiecto praeponitur ſimul , atque poſtponitur ; unde propoſitiones aequipollentes eae vocantur , quibus iudicia aequipollentia exprimuntur* .

(2) *Converſio propoſitionis eſt* mutua ſubiecti in praedicatum , & praedicati in ſubiectum mutatio , integra tamen propoſitionis veritate ; *licet nonnumquam illius extenſio , vel quantitas varietur . Hinc alia eſt* ſimplex , *in qua remanet eadem propoſitionis quantitas* ; *ut* nullum materiale eſt immortale ; nullum immortale eſt materiale : *alia eſt* per accidens , *in qua non remanet eadem propoſitionis quantitas , cum nempe univerſalis affirmans in particularem convertitur , veluti* omnis homo eſt animal ; aliquod animal eſt homo .

(3) *Olim quidem leges illae percommodae , cum Sophiſtarum diſputationes valerent ; & tanquam myſteria a veteribus Logicis habebantur , quae pandere nefas erat . Nobis non vacat in re ſeria nugas agere . Saeculum graviora poſtulat* .

DE DEFINITIONE.

CAP. VII.

INter varias propoſitionum ſpecies nulla eſt, quae ad diſciplinas omnes comparandas maioris ſit uſus, atque uberiorem illis lucem afferat, quam *Definitio*, de qua nunc nobis eſt differendum [1]. Haec autem eſt propoſitio [2], *per quam explicatur quidquid obſcurum eſt in re, vel in nomine*. Exinde duplex emergit definitionum ſpecies, quarum prima eſt definitio *nominis* ab Ariſtotelicis, & Grammaticis *Etymologia*, a Latinis vero *Notatio* nuncupata, quae quidem nomen ipſum, eiuſque vim, &

(1) *Qui ſibi ideas rerum diſtinctas, atque adaequatas acquiſivit, ipſi quidem facile erit, res non ſolum deſcribere, ſed & definire, atque dividere. Si enim diſtinctam habeamus ideam, rem definire poterimus; ſi adaequatam, nihil facilius erit, quam eam dividere. Hinc definitio eſt* quaedam propoſitio rem ita determinans, ut ab aliis omnibus ſemper diſtingui poſſit.

(2) *Diſſident inter ſe Philoſophi, utrum definitio vocanda ſit* oratio, *an potius* propoſitio. *Verum haec quaeſtio, quae tanti non eſt, ſola ambigui ſermonis explicatione evaneſcit; ſi enim definitio ſeorſim a ſubiecto ſpectetur, eſt quidem oratio, veluti* animal rationis particeps &c. *cum oratio ſit* dictionum, ac vocabulorum compoſitio ad indicandam quamdam mentis cogitationem inſtituta. *Sed ſi definitio cum re definita copuletur per verbum* eſt, *ut cum dicitur:* homo eſt animal rationis particeps, *minime dubium eſt, quin fiat propoſitio, cum haec ſit oratio, quae iudicium aliquod prodit.*

& originem clarius explanat ; veluti ſi dicatur : *Angelus idem eſt*, *ac Nuntius* [1]. Altera vero eſt definitio *rei*, quae eſt oratio naturam rei explicans ; cuiuſmodi ſunt illae, quas de Philoſophia, de Logica ſuperius tradidimus. Veruntamen per nominis definitiones accipi haud debent illae vocum explicationes ex etymologia petitae ; cum nominis definitio apud recentiores ea ſit, qua determinatur, quid per nomen aliquod intelligi debeat [2] ; huius generis eſſet *Temporis* definitio, ſi illud pro ſucceſſiva rei cuiuſque duratione, quae initium habuit,

(1) *Sciendum*, *quod Angelorum vocabulum nomen eſt officii*, *non naturae*. Hi caeleſtis patriae ſpiritus, ſemper quidem ſunt ſpiritus, ſed ſemper vocari Angeli nequaquam poſſunt ; quia tunc ſolum ſunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. *S. Greg. Hom.* 34. *in Evangel. ante medium*.

Cotta apud Cicer. de Nat. Deor. lib. 3. c. 10. Verſutos eos appello, quorum celeriter mens verſatur ; callidos autem, quorum tamquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. *Iſtiuſmodi definitiones ab etymologia ductae aliquando genus*, *& differentiam continent*, *non ſecus ac propriae* ; *ut cum quis* orthogonum *definiens ait*, *eſſe* angulum rectum.

2) *Quum itaque differentiam ſpecificam alicuius rei deſumimus a nota aliqua*, *quam rem nobis obviam ab aliis omnibus ſemper diſcernere poſſimus*, *definitio haec vocabitur* nominalis; *ex. cauſ.* circulus eſt figura, cuius peripheria a centro ubique aequaliter diſtat. *Quum vero differentiam in eo ponimus*, *ut oſtendamus modum*, *quo illa res oriatur*, *vel poſſibilis ſit*, *definitio* realis *emerget*; *ex. gr.* circulus eſt figura, quae radio circa punctum circumacto deſcribitur.

buit, ac finem habere poteſt, accipiatur. Siquidem nominis definitio ita a Wolfio expoſita fuit: *Enumeratio notarum, per quas res una ab altera ſemper diſcernitur*; veluti *quadratum eſt figura quadrilatera, aequilatera, rectangularis*.

Quoniam vero cuiuslibet rei eſſentia duplici ratione poteſt diſtingui, primo nempe per attributa, quae eſſentiam ipſam ingrediuntur, eamque conſtituunt; deinde per attributa, quae ad rei eſſentiam non pertinent; duplex propterea exurgit rei definitio, *Eſſentialis*, & *Accidentaria* ſeu *Deſcriptiva*. *Eſſentialis* ea eſt, *quae naturam rei patefacit per attributa eſſentialia, per genus ſcilicet, & differentiam* [1]; veluti *homo eſt ſubſtantia ex mente, & corpore conſtans*: quae plane definitio totam hominis naturam comprehendit; etenim quod *ſubſtantia* dicatur, hoc illius eſt genus; quod *mente, & corpore conſtet*, ad eius pertinet differentiam. *Accidentaria*, ſeu deſcriptiva rei definitio ea dicitur, *quae per attributa externa, atque adven-*

(1) *Hinc apparet, cur Deus definiri nequeat; quia cum eius natura ſimpliciſſima ſit, non poteſt per genus, & differentiam explicari. Deſcribitur per effecta, quae patefaciunt* an ſit, non quid ſit. *Unde Auguſtinus* in Pſalm. 85. *Deum ita deſcribit*: Terram cogitas? Non eſt hoc Deus. Mare cogitas? Non eſt hoc Deus. Omnia, quae ſunt in mari, quae volant per aerem? Non eſt hoc Deus. Quidquid lucet in caelo, Stellae, Sol, & Luna? Non eſt hoc Deus. Angelos cogitas, Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes? Non eſt hoc Deus. Et quid eſt? Hoc ſolum dicere potui, quid non ſit.

Digitized by Google

ventitia rem declarat; ut cum homo deſcribitur ex Tullio [1], *Animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilii*. Haec quidem rei explicatio *deſcriptio* potius, quam definitio vocari a pleriſque ſolet; quod rei eſſentia per eam nequaquam patefiat, ſed eius tantum proprietates indicentur. Duplici iſti definitionum generi ea pariter adiungi poteſt, quam Wolfius *Geneticam* appellavit. Haec autem in eo poſita eſt, ut res explicetur, modum determinando, quo res ipſa fit, aut fieri poteſt; ut ſi circulus definiatur, *Figura plana genita ex completa revolutione lineae rectae in eodem plano exiſtentis circa alterum ſui extremum penitus immobile*.

His omnibus ſubtexendum, I. quod ſi res explicetur per affectiones, quae ipſam ita comitantur, ut ab ea nequeant ſeparari, eiuſmodi definitio dicitur *propria*; veluti cum homo definitur, *Animal ridendi, & admirandi capax*; quae quidem proprietates hominis naturam non conſtituunt, ſed illam neceſſario comitantur. II. Si vero per accidentia, quae ita ſubiecto conveniunt, ut ab ipſo ſeiungi etiam poſſint, *accidentalis* vocatur; exempli loco eſſe poteſt deſcriptio illa Poliphemi apud Virgilium:

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

III. Si demum per cauſſas, deſcriptio *cauſſalis* nuncupatur; ſicuti *horologium eſt machina ex variis rotulis affabre concinnatis conſtans, quarum motus regularis idoneus eſt ad ho-*

(1) *Lib.* 1. *de Leg. cap.* 7.

boras indicandas. Ex dictis igitur manifeſto apparet, in definitionibus, quae eſſentiales dicuntur, veram exprimendam eſſe differentiam, qua res definita ab alia quacumque diſtinguatur: in deſcriptivis verae differentiae locum ab aliqua proprietate tenendum: in accidentali ab accidentibus: a cauſſis denique in cauſſali.

Ut quaelibet definitio plena dici poſſit, atque perfecta, quatuor ſunt leges obſervandae, quarum prima in eo poſita eſt, ut *clara* ſit definitio, immo re definita clarior; quod quidem in definitionibus condendis palmarium eſt; cum enim definitio rei in id adhibeatur, ut nempe rerum natura iis innoteſcat, qui eam ignorant; conſequens eſt, illas luculentas eſſe debere. Itaque in definitionibus tradendis adhiberi debent vocabula perfecte nota, vel prius explicata: *opera danda eſt*, ſicuti praeclare monet Tullius [1], *ut verbis utamur quam uſitatiſſimis, & maxime aptis*, ideſt rem declarantibus. Hinc longe plurimae Scholarum definitiones pravae vel hac de cauſſa ſunt, cum obſcuriſſimae, atque ineptiſſimae ſint. Huiuſmodi eſt definitio illa motus ab Ariſtotele concinnata: *motus*, inquit ipſe, *eſt actus entis in potentia, quatenus in potentia*. Quis enim clarius intelligit motus naturam huiuſce definitionis ope? Numquid non idea motus a natura nobis indita centies clarior eſt? Altera definitionis lex poſtulat, ut ea ex genere, & differentia conſtet [2]; cum

(1) *Lib.* 4. *de Fin. cap.* 20.

(2) *Conditio haec locum non habet in qualibet definitione, ſed*

cum enim res ipſae definiendae ita a natura comparatae ſint, ut in quibuſdam notis cum aliis rebus conveniant, & in quibuſdam ab iis diſcrepent; neceſſario ſequitur, notam illam, in qua conveniunt, per genus; illam, in qua diſſentiunt, per differentiam eſſe exprimendam. Vitioſa igitur comprobatur definitio a Platone tradita, qui hominem definivit: *Animal pulcrum*, *implume*, *bipes*, *habens caput erectum*; unde Diogenes ille Cynicus ea, quaerat irridendi, mordendique licentia, gallum gallinaceum detractis plumis in medium Academiae proiiciens exclamavit: *En hominem Platonis*. Tertio, definitio ita debet conformari, ut neque anguſtior, neque amplior ſit re definita; quod ſane Tullius (1) ſic adnotavit: *vis eius rei, quam definias, ita exprimatur, ut neque abſit quidquam, neque ſuperſit*; redundantia enim confuſionem, & ambiguitatem parit, ut *homo eſt animal ratione praeditum*, *&* *ſermocinandi capax*; defectus vero obſcuritatem: ex. cauſs. *homo eſt creatura beatitudinis capax*: *parallelogrammum eſt figura plana quatuor lateribus circumſepta*; etenim neque parallelogrammum a trapetio, & ab alia quacumque figura quadrilatera; neque hominem ab Angelo diſcernunt eiusmodi definitiones. Quarta tandem definitionis lex

ſed in logica dumtaxat, *&* *quidem propria*, *atque perfecta*, *quae a Graecis vocatur* οὐσιώδης. *Unde Cic. in Orat. c.* 33. Erit haec facultas in eo, quem volumus eſſe eloquentem, ut definire rem poſſit, neque id faciat tam preſſe, & anguſte, quam in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet.

(1) *Lib.* 2. *de Orat. cap.* 25.

lex praeſcribit, ut ea cum re definita reciprocetur; ut *triangulum eſt figura plana tribus circumſcripta lateribus*: *figura plana tribus lateribus circumſcripta eſt triangulum*.

DE DIVISIONE.

CAP. VIII.

NOn eſt, cur de *Diviſionis* utilitate in qualibet tradenda arte, atque ſcientia plura verba faciamus. Satis enim dixiſſe eſt, diviſionem, Philoſophorum omnium ſententia, *modum ſciendi* nuncupari. Diviſio itaque definitur, *totius in ſuas partes diſtributio*; puta *Templum Hieroſolymitanum trifariam dividitur in Atrium, Sanctum, & Sancta Sanctorum*. Cum autem totum illud, quod in partes reſolvitur, duplici ratione partes habere, ſeu continere poſſit; ita duplex diviſionis ſpecies ſatis accommode diſtinguitur. I. Si enim totum hoc *Logicum* (1), aut *univer-*

(1) *Inter totum Logicum, ac Phyſicum triplex intercedit diſcrimen.*

I. *Etenim in eo diſcrepant, quod toto Logico ſublato, eius quoque partes ſtatim tolluntur; ſublato enim animali, nec homo, nec bellua eſt: at ſublato toto Phyſico, partes ipſius remanent; ſiquidem everſa domo remanent ſaxa, & ligna, quibus componebatur.*

II. *Differunt etiam, quod ad totius Logici integritatem ſatis eſt pars una; nam ſi ſit homo, erit animal, licet bruta omnia pereant: ſed in toto Phyſico partes omnes requiruntur; etenim domus dici nequit, niſi & fundamentum, & parietes, & tectum ſit.*

III. Quod

verſale ſit, nempe ſi partes habeat ſub ſe, ut genus habet ſub ſe ſpecies, ſpecies autem individua; eiuſmodi totius diviſio nomen genericum *diviſionis* retinet. II. Si totum ſit phyſicum, vel ſingulare, ſcilicet ſi partes habeat in ſe, iterum diſtinguendum, an eae partes ſint *eſſentiales*, an *integrantes*: ſi eſſentiales fuerint, ut *Animus*, & *Corpus reſpectu hominis*, huius totius licet ſingularis diviſio genericum vel ipſa ſervat *diviſionis* nomen: ſi integrantes, nimirum ſine quibus tota aliqua eſſentia integra eſſe nequit, diviſio iſta *partitio* vocatur; cuiuſmodi eſt *corporis humani in caput, truncum, & artus* partitio. Sex recenſentur diviſionis claſſes, quarum prima eſt, cum dividitur genus in ſuas ſpecies; ſicuti *animal vel eſt homo, vel brutum*: II. cum genus per ſuas differentias diſtribuitur; *omne animal vel eſt rationis particeps, vel ratione deſtitutum*: III. cum ſubiectum commune in varia diſcernitur attributa; *quodlibet corpus, aut movetur, aut quieſcit*: IV. cum attributum in varia dividitur ſubiecta, quibus ineſſe poteſt; *omne bonum vel eſt animi, vel corporis*: V. cum effectus per ſuas cauſſas, & cauſſa per ſuos effectus dirimitur; ſicuti *Scriptura Sacra in Vetus, ac Novum Teſtamentum*: & *Verbum Dei aliud peccata arguit*, ut, Lex; *aliud peccatores erigit*, ut Evangelium: VI. denique cum qualitas per ſua obiecta diſpeſcitur; veluti *Amor eſt vel Dei, vel ſui ipſius, vel proximi*.

III. Quod totum Logicum vere, ac proprie de ſingulis partibus enunciatur; ſiquidem Homo dicitur animal, Leo dicitur animal, Aquila dicitur animal: Phyſicum vero de ſingulis dici nequit; non enim fundamentum dicitur domus &c.

Digitized by Google

Quamquam plurimae afferri poſſunt leges in diviſione ſervandae; quatuor tamen ceteris utiliores explicandas ſelegimus. I. Laborandum in primis eſt, ut diviſionis partes integram ſubiecti diviſi extenſionem exhauriant; ut *par*, & *impar* integram *numeri* extenſionem exhauriunt, cum nullus habeatur numerus, qui par, aut impar non ſit (1). II. Gradatim inſuper diviſio procedat, neceſſe eſt, nimirum fieri ipſa debet per membra proxima, & immediata. Itaque non recte dividitur vivens in plantam, belluam, & hominem; ſed diviſio inſtituenda eſt per membra proxima hoc ferme pacto: *Vivens aliud ſenſu caret*, ut planta; *aliud ſenſum habet*, ut animal; rurſus *animal vel eſt rationis particeps*, ut homo, *vel expers*, ut bellua. III. Diviſio ita eſt conficienda, ut unum in altero non contineatur (2); unde ſi animal in ſenſitivum, & rationale dividatur, perperam diviſio conficitur, cum rationale, ut evidens eſt, ſenſitivum complectatur; nul-

(1) *Nunquam fere ſaepius ratiocinatio vitioſa eſt, quam cum ad hanc legem aut non ſatis attenditur, aut illa penitus ignoratur. Ex eo autem erroris cauſſa promanat, quod quaedam nomina ita putantur oppoſita, ut nihil medium videantur admittere, cum nihilominus illud admittant. Ita oppoſitorum vitiorum virtus media eſt*; pietatem *hinc inde concludunt* impietas, *&* ſuperſtitio: *nonnunquam vero haec media virtus duplex eſt; inter* avaritiam, *&* prodigalitatem *duplex virtus* liberalitas *nempe*, *&* *laudabilis* parſimonia *invenitur*.

(2) *Etenim, ut egregie inquit Tullius l. 2. de Fin. cap. 9.* Vitioſum eſt in dividendo, partem in genere numerare.

nullum enim eſt animal, quod ratione praeditum ſit, ſentiendique virtute nequaquam polleat. Hic autem addere conſentaneum eſt, cavendum maxime, ne partes totius ad unum pertinentes obiectum cum eiuſdem totius partibus ad aliud obiectum ſpectantibus immiſceantur; idem enim eſſet vitium, ac ſi duo, eorumque partes ſimul confunderentur. Huiuſmodi laboraret defectu diviſio trianguli rectilinei in aequilaterum, aequicrure, ſcalenum, rectangulum; qua de re ut rite fiat hac in parte diviſio, & laterum, & angulorum habenda eſt ratio, proindeque *triangulum rectilineum* ratione laterum dividatur oportet *in aequilaterum*, *aequicrure*, *ſcalenum*; ratione angulorum *in Orthogonium*, ſeu *rectangulum*, *in Oxygonium* vel *acutangulum*, *in Ambligonium* ſive *obtuſangulum*. IV. Ex ſuperius allatis legibus prima, & tertia poſtrema haec dimanat, nimirum ne diviſio fiat in partes pauciores, pluresve, quam operteat [1], quia partes totum aequare debent, & inſuper ex nimio partium numero confuſio naſcitur; ex partium vero defectu obſcuritas, ut praeclare monuerunt Seneca [2], Tullius [3], Quintilianus [4].

(1) *Quatuor illis legibus ſolent nonnulli quintam quoque adiicere, ut nimirum non* diviſio, *ſed* diſtinctio *potius dicenda ſit, quae non rem in ſuas partes dividit, ſed tantum vocabuli diverſas ſignificationes diſcernit*.

(2) *Epiſt.* 89. Idem vitii habet nimia, quod nulla diviſio: ſimile confuſo eſt quidquid uſque in pulverem ſectum eſt.

(3) *In Orat. c.* 33. Idem etiam, cum res poſtulabit, genus univerſum in ſpecies certas, ut nulla neque praetermittatur, neque redundet, partietur, ac dividet.

(4) Obnitendum, ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit.

PARS TERTIA

DE RATIOCINATIONIS, ET ARGUMENTATIONIS NATURA, VARIISQUE IPSIUS SPECIEBUS.

CAP. I.

ETiamſi *Ratiocinatio* inter mentis noſtrae operationes tertium locum occupet; illius tamen utilitas tanta eſt, ut perceptioni, atque iudicio praeferenda iure optimo videatur. Innumera quippe ſunt, quae nos penitus laterent, ſi praeſtantiſſima haec ratiocinandi facultas nobis deeſſet. Accedit etiam, quod licet in ſingulis mentis operationibus a nobis hactenus expoſitis mirifice appareat ingenii humani vis, atque ubertas; nunquam tamen illuſtrius effulget, quam cum vim illam exercemus, iudicium aliquod deducentes ex altero iam mente efformato, & uno verbo diſcurrimus, & ratiocinamur (1). Patet igitur, ratiocinationis naturam poſitam eſſe in mentis cogitatione, qua unum iudicium ex aliis praecedentibus infertur; unde poterit ratiocinatio definiri, *nobi-*

(1) *Ratiocinari idem eſt, ac res ignotas per notas patefacere, unum iudicium ex alio colligendo; unde definiri etiam poteſt ratiocinatio Tullii verbis Acad.* 4. *c.* 8. Ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit. *Quintilianus vero illam vocat*, Rationem, quae probationem praeſtat, quaque colligitur aliud per aliud: *ſive, ut idem proſequitur*, ratio, quae, quod eſt dubium, confirmat. *Lib.* 5. *Inſtit. Orat. c.* 10.

Digitized by Google

bilius iudicii genus [1], *quo humana mens duo iudicia inter ſe comparat*, & quatenus unum alteri convenire, unum in alio contineri intellexerit, tertium quoddam iudicium colligit. Illud autem inter ratiocinationem, & argumentationem eſt diſcriminis, quod illa eſt ſimplex mentis actus [2] unum ex aliis ſaltem duobus iudiciis colligentis; ut, cum omnis ſubſtantia ſpiritalis ſit incorruptibilis, & humanus animus ſubſtantia ſit ſpiritalis, ſi duo haec mente ſolum concipiamus, & exinde concludamus, animum humanum eſſe incorruptibilem; iudicium hoc tertium ex aliis duobus praecedentibus erutum *ratiocinationis* nomine venit. Quod ſi haec omnia proferamus, tunc *Argumentatio* emergit, quae definitur, *Oratio ad exprimendam*

(1) *Controverti ſolet in Scholis, utrum ratiocinatio ſit quaedam ſpecies iudicii, an cogitatio aliqua a iudicio diſtincta. Nobis tamen ea arridet ſententia, quae aſſerit, eſſe iudicii ſpeciem, cum ſit actus mentis aliquid affirmantis, vel negantis, ex eo quod alia affirmaverit, aut negaverit; ex. cauſ. ex eo quod quis aſſeruerit hominis mentem eſſe ſpiritalem ſubſtantiam, affirmat, eam eſſe incorruptibilem, cum omnis ſubſtantia ſpiritalis ſit incorruptibilis: ex eo quod quis negaverit materiam cogitare, ipſam beatitudinis capacem eſſe neget, quia ad beatitudinem neceſſaria eſt cogitatio.*

(2) *Altera eſt Scholarum quaeſtio, utrum ratiocinatio ſit ſimplex mentis actus, an quidpiam compoſitum.*

Iudicium eſt ſimplex mentis actus, ut in ſecunda Logices parte demonſtravimus.

Ratiocinatio eſt iudicium, ut in ſuperiore adnotatione oſtendimus.

Ergo ratiocinatio eſt ſimplex mentis actus.

dam ratiocinationem inſtituta, *ac pluribus propoſitionibus compoſita*. Veruntamen ratiocinatio communi loquendi uſu cum argumentatione ſolet promiſcue accipi; quemadmodum ipſarum alterutra, quae certa, & evidenti ratione fulcitur, *demonſtrationis* nomine decoratur; quae falſo nititur argumento, *ſophiſma* dicitur; quae probabili, *opinio*. Probabile argumentum illud eſt, quod veritati conſentaneum ita videtur, ut licitum quoque ſit de illius veritate vel leviſſime dubitare. Illud vero aut eſt *intrinſece*, ut inquiunt, probabile, cum nempe conſonum veritati apparet propter rationem; aut eſt dumtaxat probabile *extrinſece*, nimirum cum veritati conſentire videtur propter auctoritatem.

Quemadmodum humanus intellectus quidquid per ideas concipit, vocibus exprimere; quidquid de re concepta vel aſſerendo, vel negando iudicat, per propoſitiones patefacere; Ita ratiocinationes variis argumentationum ſpeciebus ſolet explicare. Nobis itaque de iis verba facere aggreſſuris, ſeptem a Philoſophis omnibus enumerantur argumentationum ſpecies, quae tamen omnes ad ſyllogiſmum, tamquam praecipuum argumentationis fontem, & originem referuntur. Hae autem ſunt *Inductio*, *Exemplum*, *Dilemma*, *Sorites*, *Syllogiſmus*, *Enthymema*, *Epicherema*.

Inductio [1] eſt argumentatio, qua per plurium ſingula-

(1) *Inductio eo nititur fundamento, quod idem de eodem affirmari debet. Univerſale autem non differt, niſi modo quo-*

larium, ex quibus ipſa conſtat, enumerationem, aliquid univerſale omnibus commune concluditur. Huiuſmodi eſt: ſalix vegetat, vegetat populus, robur, arboreſque vegetant; ergo vegetant plantae univerſae [1]. Ut vero argumentatio haec recte concludat, neceſſe eſt, ut partes omnes, ſive omnia ſingularia numerentur. Hac profecto de cauſſa peccaret, qui probaturus metalla eſſe ſolida, ita inductionem conficeret: plumbum ſolidum eſt, ferrum ſolidum; ſtamnum, aes, argentum, aurum, cuncta haec ſolida; ergo ſolida ſunt metalla omnia. Haud recte concludit haec argumentatio ob partis omiſſionem, ſcilicet ob praetermiſſum hydrargyrum; illud enim cum fluidum ſit, perſpicue demonſtrat, non omnibus metallis ſoliditatem ineſſe [2].

quodam, *&* *ratione*, *a ſingularibus ſimul comprehenſis*. *Haec ab Ariſtotele* lib. 1. Topic. c. 12. *dicitur*, a ſingulis ad univerſa progreſſio.

(1) *Duplex inductionis ſpecies diſtinguitur*, *altera* Philoſophica, Dialectica *altera*. *Philoſophica a formis ad genus progreditur*, *ut apparet in exemplo ſuperius allato*: *haec autem neceſſario concludit*. *Dialectica a partibus ad totum procedit*, *concluditque probabiliter*, *cuius exemplum eſſe poteſt illud Perſii* Sat. 5. p. 55:

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno:
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini;
Hic ſatur irriguo mavult marceſcere ſomno;
Hic campo indulget, hunc alea decoquet; ille
In Venerem eſt putris.

(2) *Eſt &* Inductio Socratica, *quae ad exempli naturam ac-*

Exemplum eſt argumentatio, qua ex uno ſingulari aliud ſingulare illi ſimile colligitur: dum equum aſſiduè exerces, facis ad froenum, atque rhedam paratiorem; ergo ſi animum aſſidua exerceas contemplatione, facies ad contemplandum magis idoneum, atque expeditum. Haec autem argumentationis ſpecies, quae nonniſi probabiliter concludit, adeoque ad Oratores potius, quam ad Logicos ſpectat, caute admodum eſt adhibenda, cum ex ea plures oriantur errores: frequenter uſurpari ſolet in iis, quae ad mores componendos pertinent (1), cum mens noſtra fortius aliorum exemplis, quam rationibus plerumque moveatur. Ad exemplum revocari conſueverunt *Parabola*, & *Apologus*. Cum non verum, ſed veriſimile exemplum fingitur ad illud ſuadendum, quod intendimus (2), *parabolae* nomen habet, quae praecipuum

accedit, quaeque ex multis ſimilibus ad aliquid ſimile concludendam per interrogationem progreditur. Cithara datur ne pulſanda nobili viro, an perito citharoedo? Perito citharoedo. Clavus datur ne gubernandus nobili viro, an perito nauclero? Perito nauclero. Valetudo committitur ne curanda nobili viro, an perito medico? Perito medico. Ergo etiam ad Reipublicae regimen admittendi ſunt non viri nobiles, ſed regendi periti.

(1) *Quintilianus* lib. 5. c. 11. *exempli materiam deſcribit:* Rei geſtae, aut ut geſtae utilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio.

(2) *Ad hanc rem Seneca Ep.* 60. Illi, qui ſimpliciter, ac demonſtrandae rei cauſſa eloquebantur, parabolis referti ſunt, quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſſa,

puum fuit Orientalium populorum argumentum, eiuſque uſus in ſacris Literis frequentiſſimus eſt [1]. Cum vero falſum, & impoſſibile aſſumitur exemplum, ut in elegantiſſimis Phoedri Fabulis apparet, ubi res inanimae inter ſe mutuo colloquentes inducuntur, *Apologus* nuncupatur, qui erat Graecorum philoſophorum frequens artificium ad quidpiam edocendum inſtitutum.

Dilemma [2], quod a Diodoro fertur inventum, eſt argumentatio, cuius antecedens duabus partibus conſtat, & incommodum utrinque parit; unde *cornuta* etiam dicitur, & ita adverſarios urget, ut nulla via argumenti robur poſſint effringere; ut ſi quis probare velit, *neminem eſſe in hac vita vere beatum*, ſequenti utatur argumento: quiſquis hanc vitam vivit, vel concupiſcentiae inſervit, vel obſiſtit; ſed inſervire miſerum eſt, nunquam enim eam explere quis poteſt: at miſerum quoque eſt illi obſiſtere, quia nihil inteſtino hoc bello moleſtius, & gravius, quod quis in ſemetipſum gerit; nemo itaque in hac vita vere beatus eſſe poteſt. Tria hic notanda occurrunt, quae ad huiuſce argumentationis vitia detegenda plurimum iuvant. Et I. vitioſa erit haec argumentatio, ſi propoſitiones oppoſitae aliquid medium

 ad-

ſa, qua Poetis, ſed ut imbecillitatis noſtrae adminicula ſint, & ut diſcentem, & audientem in rem praeſentem adducant.

(1) *Huiuſcemodi eſt, quod Nathan Propheta Davidi propoſuit* lib. 2. Regum c. 12.

(2) *Duobus verbis graecis conſtat vox haec* Dilemma, ex δὶς bis, & λῆμμα ſumtio.

admittant; vel quod idem eſt, ſi diſiunctiva propoſitio manca ſit, atque imperfecta; quo vitio laborat celebre illud Diodori dilemma, quo motum in natura dari negabat. Si enim, inquit ipſe, corpus movetur, vel movetur in loco ubi eſt, vel in loco, in quo non eſt: atqui non movetur in loco, ubi eſt, quia cum eſt in loco, moveri nequit; neque in loco, ubi non eſt, quia ubi corpus non eſt, nec moveri, nec quieſcere poteſt: ergo nullibi corpus movetur, ergo motus non datur. Cuius fallaciam detegimus, adiungendo primis duabus propoſitionis diſiunctivae partibus alteram, qua corpus movetur in loco, in quo eſt, & in loco ſimul, ubi non eſt, cum ad motum conficiendum loca complura requirantur, quia motus eſt migratio corporis de uno in alium locum. II. Vitioſum quoque erit dilemma, ſi haud neceſſario concluſiones ex partibus deducantur; ut patet in illo Biantis dilemmate, quo oſtendere nitebatur, eſſe a Reipublicae adminiſtratione abſtinendum: vel enim, diebat, in Republica quis recte ſe gerit, vel male; ſi male, offendit Deum; ſi bene, homines: quod quidem falſum eſt; quandoquidem non eſt neceſſario verum, neminem poſſe in adminiſtranda Republica recte ſe gerere, quin homines offendat. III. Si dilemma in arguentem ipſum retorqueri poſſit, quod a Graecis Ἀντιστρέφον a Latinis *reciprocum*, vitioſum erit; cuiuſmodi eſt illud; quo vetus quaedam Pythia ſuadere conabatur filio, ne ad populum verba faceret inquiens: aut iniuſta ſuaſeris, aut iuſta; ſi iniuſta, habebis Deos iratos; ſi iuſta, iratos habebis

bis homines: quod quidem dilemma ita iuvenis in matrem retorſit: immo expedit ad populum verba facere; nam ſi iuſta dixero, Dii me amabunt; ſi iniuſta, homines.

Sorites frequentiſſimum apud Geometras argumentum ex pluribus propoſitionibus ita coaleſcit, ut praecedentis propoſitionis attributum ſit conſequentis ſubiectum, donec ultimae praedicatum cum primae ſubiecto coniungatur; huiuſmodi eſt ſorites, quem in exemplum perfectiſſimae demonſtrationis affert Leibnitius ad Marii Nizolii lib. 4. c. 3. de veris princip. *Quodlibet corpus eſt in in ſpatio; quod eſt in ſpatio, poteſt eſſe in alio ſpatio; quod poteſt eſſe in alio ſpatio, poteſt mutare ſpatium; quod poteſt mutare ſpatium, eſt mobile; ergo quodlibet corpus eſt mobile* (1);

At quoniam in gradationem hanc, praeſertim ſi longior ſit, facile irrepunt vitia, captioneſque, quae nexum latenter infringunt, & concluſionem impediunt; idcirco quaedam monere volumus partim omnibus argumentationibus communia, partim noſtrae huius propria.

I. Et primum quidem cavere oportet, ne ullum ſit verbum ambiguum; ambiguitas enim geminat vocis ſignificationem, atque ex uno duo facit, quae ſibi inter ſe haud cohaerent: unde ſerie interciſa, recte deſcendi ad

(1) *Qui ita diſputat, idem facit, ac ſi diceret: unum eſt in duobus; duo ſunt in tribus; tria ſunt in quatuor; quatuor ſunt in quinque; ergo unum eſt in quinque. Gradatio haec eo ſpectat, ut tota vis argumenti, quod aſſumitur ad concilianda quaeſtionis extrema, dilucide appareat.*

ad concludendum nequit (1). Interdum vero ſit, ut non unum, aut alterum verbum, ſed tota enunciatio ambigua ſit, incerta, & minus vera: ex quo nemo non videt, quid ſequatur (2).

II. Deinde in eo ſumma cautio, atque proviſio eſt adhibenda, ut inter enunciationes aientes nulla ſit negans.

(1) *Hac certe in parte deficit Gorgiae Leontini Sorites, quo conabatur oſtendere, quod eſt aeternum, prorſus non eſſe, ut refert Sex. Emp. adv. Logic. lib. 1. n. 69.* Quod eſt aeternum, caret principio; quod caret principio, eſt infinitum; quod eſt infinitum, nuſquam eſt; quod nuſquam eſt, omnino non eſt; ergo quod aeternum eſt, omnino non eſt. *Porro infinitum nuſquam eſſe, ex eo probabat, quia ſi alicubi eſſet, in loco eſſet, eoque contineretur; quod autem continetur in alio, eſt anguſtius illo, adeoque infinitum eſſe nequit. Scilicet non vidit, aut videre noluit ambiguam* infiniti *ſignificationem; quae vox primo quidem refertur ad ea, quae ſempiterna ſucceſſione conſtant, cuiuſmodi eſt* tempus, & motus *apud veteres Philoſophos: ſecundo autem ad* magnitudinem *nullis terminis circumſcriptam. Si idem valeret,* ſemper eſſe, & ubique eſſe, *aut ex ancipiti argumentum duci poſſet, Gorgias dixiſſet aliquid.*

(2) *In hanc profecto regulam peccat Stoicorum concluſio, quae reprehenditur a Tullio lib. 4. de Fin. c. 18.* Quod bonum ſit, id eſſe optabile; quod optabile, id eſſe expetendum; quod expetendum, laudabile; igitur quod bonum ſit, id eſſe laudabile. *Negat enim Ariſtoteles, & Xenocrates, quod eſt bonum, & optabile, idem eſſe laudabile, niſi ſit cum virtute coniunctum; quia laus ſoli virtuti debetur: in bonis autem, & optabilibus non ſola eſt virtus.*

gans. Siqua enim huiuſmodi inferatur, ceterarum nexum & coniunctionem abrumpet [1]. Attamen quae proxime antecedit concluſionem poteſt eſſe negans, modo ipſa quoque concluſio negans ſit. Huius exemplum habetur, licet non ita clare expreſſum, apud Cic. de Offic. l. 3. c. 6. *Si hominis eſt hominem iuvare, omnium utilitas eſt communis; ſi omnium utilitas eſt communis, una continemur omnes lege naturae; ſi una continemur omnes lege naturae, alter alterum violare non debet; ergo homo hominem violare non debet*. Non inficiamur nihilominus, ſoritem aliquando fieri ex omnibus negantibus poſſe, ſi a ſummis generibus ad ima deſcendatur; veluti ſi dicatur: *Quod non eſt ſubſtantia, neque corpus, neque ſpiritus eſt; quod neque corpus, neque ſpiritus eſt, vivens non eſt; quod vivens non eſt, animal non eſt; quod animal non eſt, homo eſſe nequit*. Hic tamen omni ſtudio fallacias cavere opus eſt; nam quae negant, facilius fallunt.

III. Illud quoque cognoſcere oportet, num ea, quae in ſoritem conferuntur, ex ſe apta ſint, & per gradus recte congruentes ad concluſionem ducantur [2].

IV. Po-

(1) *Hoc autem vitio laborat ſequens Sorites, & nihil proinde efficit, qui ita diſputat*: Virtus eſt habitus; habitus eſt qualitas; qualitas non eſt ſubſtantia; ſubſtantia per ſe conſtat; ergo virtus per ſe conſtat. *Vitium eſt in tertia enunciatione*.

(2) *Reprehendendum proinde eſt illud Academicorum argumentum, quo ipſi contendebant, inter vera viſa, & falſa nihil eſſe diſcriminis, quia falſa multa probabilia ſunt, atque adeo*

Digitized by Google

IV. Poſtremo cavendum maxime eſt, ne ulla ſit in ſorite enunciatio particularis, niſi forte prima. Cuiuſlibet enim ſubiectum ſumitur tanquam medium, ut Scholae vocant, peculiaris ſyllogiſmi, quem paullo inferius demonſtrabimus fore ineptum, quoties medio nitatur particulari.

Optima ratiocinandi forma princeps atque una, ad quam reliquae omnes revocantur, eſt *Syllogiſmus*, qui in Scholis definiri ſolet, *oratio* (1), *in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam diſtinctum ab iis, quae poſita ſunt, neceſſario ſequitur*. Haec tamen definitio ſyllogiſmo non ita convenit, ut ceteris quoque argumentationum ſpeciebus tribui minime poſſit. Rectius ergo deſcribitur Syllogiſmus, *ſimplex intellectus operatio, qua ipſe inſtituta duarum idearum* .com-

adeo ſimilia veri, ut vix, aut ne vix quidem internoſci poſſint. Quod quidem ſolvitur a Lucullo apud Ciceronem l. 4. *Academ. qq. c.* 16. Vitioſum ſane, & captioſum genus. Sic enim aſcenditis. Si tale viſum obiectum eſt a Deo dormienti, ut probabiſe ſit, cur non etiam ut valde veriſimile? Cur deinde non ut difficiliter a vero internoſcatur? Deinde ut ne internoſcatur quidem? Poſtremo ut nihil inter hoc, & illud interſit? Huc ſi perveneris, me tibi primum quodque concedente, meum vitium fuerit. Sin ipſe tua ſponte proceſſeris, tuum. *Quiſque per ſe intelligit, qua in parte deficiat conſectarium hoc. Neque enim, ſi quid eſt alteri ſimile, continuo ſequitur, ut ſit idem.*

(1) *Definitio eſt Ariſtotelis lib.* 1. *priorum Analyticorum c.*1. *Et alibi*: Syllogiſmus idem ſonat, ac collectionem, quae ratiocinando fit.

comparatione cum tertia, *iungendae ne iſtae ſint*, *an ſeparandae*, *cognoſcit* (1). Ex tribus autem ideis illis tres quoque dimanant ſimplices enunciationes, quarum prima, unde ratiocinationis vis oritur, quaeque proinde eſt totius argumenti fundamentum, a Latinis vocatur *Propoſitio* (2), altera *Aſſumtio* (3), tertia *Concluſio* (4): a Scholaſticis vero prima appellari ſolet propoſitio *maior*, ſecunda propoſitio *minor*, & ambae ſimul *praemiſſae* dicuntur; tertia demum, quae ex praemiſſis colligitur, *conſequentia* vocatur. In quolibet ſyllogiſmo, quod etiam dici poteſt de omni

(1) *In adornandis*, *componendiſque ſyllogiſmis intellectus ſe habet*, *tanquam arithmeticus*, *qui* regula aurea, *vel* de tribus *utitur*; *unde fit*, *ut quemadmodum arithmeticus ex datis duobus quantitatibus cognitis tertiam colligit incognitam*; *ita intellectus*, *quoties ratiocinatur*, *ex comparatione duarum idearum cum tertia deducat*, *componendae ne illae ſint*, *an ſeiungendae*. *Ita ex comparatione* mentis *cum* corpore, *&* cogitatione *ſatis intelligo*, *mentem*, *& corpus iungi non poſſe*: *ex comparatione* mentis *cum* ſpiritu, *&* cogitatione *ſtatim diſco*, *mentem eſſe non corpoream*, *ſed ſpiritalem ſubſtantiam*.

(2) *Prima Syllogiſmi pars ab Ariſtotele vocatur* πρότασις; *a Cornificio* Expoſitio; *a Tullio* Propoſitio, *atque* Propoſitum; *a Quintiliano* Intentio, *ſive* Intentum.

(3) *Haec ab Ariſtotele ipſo dicta fuit* λῆμμα; *a Cicerone*, *aliiſque latinis ſcriptoribus* Sumtio, *aut* Aſſumtio.

(4) *Concluſio*, *Grece* συμπέρασμα, *nimirum quod ex propoſitione*, *& aſſumtione conficitur*, *hoc ideo nomine deſignatur*, *quod ratiocinationem concludat*: *quam quidem Cicero interdum* Complexionem *vocavit*, *& Quintilianus* Connexionem, *quod ſuperiora connectat*, *ac complectatur*.

Digitized by Google

omni argumentationum genere, communi Scholarum doctrina duo ſunt diſtinguenda, *Materia* ſcilicet, & *Forma*. Materia ſunt propoſitiones, & voces, quibus argumentatio componitur; hae ſiquidem *materia remota*; illae *materia proxima* (1). Forma eſt *materiae tum proximae, tum remotae*, ideſt *propoſitionum, ac vocum ad concludendum diſpoſitio*; unde fit, quod ſyllogiſmi, & cuiuſcumque argumentationis forma legitima erit, ſi ex praemiſſis ſequatur concluſio; ſecus, vitioſa erit.

Enthymema, prout graecum ipſius nomen ſonat, eſt ſyllogiſmus truncatus, & biformis, cuius aliqua propoſitio in mente retenta ſubticetur, utpote clara: ex. cauſſ. eſt homo, ergo eſt mortalis; maior enim univerſalis, *omnis homo eſt mortalis*, reticetur. Propoſitio, quae praetermittitur, nonnunquam maior, ut in allato exemplo, nonnunquam minor eſſe poteſt. Verum ut iſtud concludat argumentum, tamquam certa habenda eſt illa, quae omittitur propoſitio; unde conſtat, enthymema in ore eſſe perfectum in mente ſyllogiſmum.

Epicherema eſt ſyllogiſmus (2), in quo non tantum tres

---

(1) *Argumentatio vitioſa eſt ratione materiae, ſi qua propoſitio falſa ſit; ſecus, legitima. Hinc argumentatio poteſt eſſe legitima ratione formae, ac vitioſa ratione materiae; & viciſſim.*

(2) *Ariſtoteles* in lib. Topic. 8. c. 11. *inquit*: Epicherema Syllogiſmus eſt dialecticus: *cum dicitur* Syllogiſmus, *apparet, quas habere partes debeat: attamen viri doctiſſimi affirmare non dubitarunt, Epicherema modo quatuor*

tres propoſitiones exprimuntur, verum etiam alterutri, vel utrique praemiſſarum ſua adiungitur probatio; etenim ſaepe ſaepius fit, ut inter argumentandum quaedam proferantur propoſitiones dubiae, quarum explicationes, probationesve, ne auditorum animis confuſio, aut obſcuritas aliqua obrepat, ſtatim ſubnectere conſultum videtur; quod Oratoribus praeſertim ſolemne eſt, nec infrequens apud Philoſophos. Elegantiſſimum huiuſce argumentationis exemplum nobis ſuppeditat Artis Cogitandi Auctor ex D. Auguſtini operibus contra Pelagianos depromtum, qui prolixa diſputatione infantium miſerias ex peccato originali derivare, ita invictiſſime probat: *Infantes ſunt miſeri; ſiquidem eorum primi anni pleni ſunt vanitatibus, paſſionibus, illuſionibus, timoribus: atqui non aliunde ſunt miſeri, quam ex peccato originali; etenim haec eorum miſeria uni ex his quatuor cauſſis adſcribi poteſt; I. vel peccato actuali ab ipſis commiſſo; II. vel impotentiae Dei non valentis illos felices praeſtare; III. vel iniuſtitiae Dei volentis illos immeritos punire; IV. vel peccato originali: primas tres cauſſas afferre impium eſt: ergo infantium miſeriae*

---

tuor conſtare partibus, modo quinque; adiecta nempe vel propoſitioni, vel aſſumtioni, vel utrique probatione. Additur dialecticus, *nimirum ad diſputandum in partem utramque per probabilia comparatus. Quia vero probabilia, ſi nuda ſint, parum proficiunt, ſolent per ſingulas ferme partes aliis atque aliis rationibus fulciri, ac dilatari. Hae porro rationes non tam novae eiuſdem argumenti partes ſunt dicendae, quam nova argumenta; nec iam unum, ſi recte iudicamus, ſed plures conſtituunt ſyllogiſmos in unam aggreſſionem coacervatos.*

riae peccato originali ſunt tribuendae. His omnibus argumentationum ſpeciebus adiungi etiam ſolet a pleriſque ea, quae *Proſyllogiſmi* nomine venit, ex eo quod huiuſmodi argumentatio duobus conſtet ſyllogiſmis. *Proſyllogiſmus* itaque fit, cum priori ſyllogiſmo iam efformato ita alter ſubnectitur, ut primi concluſio fiat ſecundi ſyllogiſmi maior propoſitio: ex. cauſ. Quod prohibetur a lege; ſubiicitur poenae: ſed homicidium a lege prohibetur; ergo poenae ſubiicitur: atqui poena, cui ſubiicitur homicidium, eſt poena capitis; ergo homicidium capitis poena plectendum eſt.

Expoſitis iam variis argumentationum ſpeciebus, ut ſyllogiſmi naturam accuratius perſcrutemur, ac luculentius explicemus, nonnulla ſuperaddere libet ad id maxime conducentia. I. Itaque materia ſyllogiſmi remota, ſeu termini, ut aiunt, ſunt numero tres, *Maior*, *Minor*, & *Medius*; ſive *Maius extremum*, *Minus extremum*, & *Medium* (1). *Maius extremum* eſt praedicatum concluſionis

(1) *Tres illae ideae, quae in ſyllogiſmo inter ſe comparantur, quoties verbis exprimuntur*, termini *vocantur*. *Et is quidem, de quo aliquid quaeritur*, Minor; *quod de eo quaeritur*, Maior; *& is, quocum hi duo termini comparantur*, Medius *dici conſuevit: ex. gr. ſi ſcire velim, an* aer *ſit* gravis, *& hinc, & hinc has ideas conferam eum* preſſione corporum; aer *erit terminus* minor, *quia de eo aliquid quaeritur;* gravis *terminus* maior, *quia hoc ipſum eſt, quod de aere quaeritur;* preſſio corporum *erit terminus* me-

Digitized by Google

nis directae, quod ideo *maius* ſolet in Scholis appellari, quia ut plurimum eſt minore extremo magis univerſale. *Minus extremum* eſt ſubiectum ipſius concluſionis. *Medium*, vel *argumentum* eſt terminus aſſumtus ad probandam connexionem, aut repugnantiam maioris, & minoris extremi: *medium* autem vocatur, quod plerumque inter maius, minuſve extremum interiacet; vel etiam quod extrema conciliet, nempe ſubiectum cum praedicato componat; atque *medii* huiuſce ope, ac lumine extremorum habitudo antea nobis ignota pateſiat. II. Materia proxima ſyllogiſmi ſpectata, quam diximus eſſe propoſitiones, quibus ipſe componitur; perfectus ſyllogiſmus tribus tantummodo conſtare debet propoſitionibus: quae ex maiore, & medio termino reſultat, *maior* in Scholis nuncupatur: quae ex minore, & medio, *minor*: quae tandem ex minore, & maiore, *concluſio* dicitur. Ita ſi hunc conſtruam ſyllogiſmum: *quidquid eſt ſuis lineis concluſum, eſt figura: atqui triangulum ſuis eſt lineis* con-

medius, *quia cum hac idea ceterae duae comparantur. Quum vero tres iſti termini non alia certe ratione inter ſe poſſint conferri, quam ut ſinguli cum ſingulis contendantur; omnis quoque perfectus ſyllogiſmus coaleſcat, oportet, tribus propoſitionibus, quarum illa, quae ex maiore, &* *medio termino conſtat*, maior; *quae ex minore, & medio*, minor; *quae ex maiore, & minore*, concluſio *appellatur: ita ſi hic conſtruatur ſyllogiſmus ex terminis paullo ſuperius propoſitis*: quod premit corpora inferiora, eſt grave; aer premit corpora inferiora; ergo aer eſt gravis. *Prima propoſitio erit* maior, *altera* minor, *tertia* concluſio.

concluſum ; ergo triangulum eſt figura . Prima propoſitio *maior* dicitur , altera *minor* , poſtrema *concluſio* , cuius ſubiectum [*triangulum*] eſt minor terminus ; attributum vero [*figura*] eſt terminus maior ; demum [*concluſum eſt ſuis lineis*] eſt terminus medius , qui in maiore propoſitione coniungitur cum termino maiore, nempe *figura ;* in minore propoſitione cum termino minore , nimirum *triangulum* , conſociatur . Ex quibus omnibus tria haec inferri facile poſſunt , ſcilicet I. ſyllogiſmum conſtare debere tribus tantum terminis (1) : II. medium terminum locum habere non poſſe in concluſione (2) : III. concluſionem ipſam compoſitam eſſe ex terminis ſyllogiſmi extremis (3) ,

Quod

(1) *Id ſequenti patet ſyllogiſmo* . Propoſitio duobus tantum terminis conſtat , praedicato nimirum , & ſubiecto ; proindeque duae ſyllogiſmi propoſitiones praemiſſae cum terminum habeant communem , nonniſi tres terminos continent : atqui concluſio novum terminum in ſyllogiſmum non inducit , cum conſtet ex maiore , ac minore ſyllogiſmi extremo , quae in praemiſſis diverſa ſunt ; ergo ſyllogiſmus nonniſi tribus terminis conſtat .

(2) *Hoc pariter ita comprobatur* . Terminus medius eſt utrique praemiſſarum ſyllogiſmi propoſitionum communis : atqui concluſio conflatur ex terminis praemiſſarum diverſis ; ergo terminus medius locum habere non poteſt in concluſione .

(3) *Corollarium hoc tertium eiuſmodi conſtat ſyllogiſmo* . Concluſio ex terminis praemiſſarum diverſis componitur : atqui diverſi praemiſſarum termini ſunt extremi ; ergo concluſio ex terminis ſyllogiſmi extremis componitur .

Quod autem pertinet ad ſyllogiſmi formam; quoniam ex illius definitione hanc ſitam eſſe patet in artificioſa quadam materiae tum proximae, tum remotae diſpoſitione; ſi materia proxima, nempe propoſitiones diſponantur, tunc ſyllogiſmi, quem ita dicunt, *modus* emergit: ſi vero materia remota, nimirum termini diſtribuantur, tunc oritur ea, quae ſyllogiſmi *figura* appellatur; haec enim ſolet in Scholis definiri, *apta medii cum extremis ad concludendum diſpoſitio* (1). Hoc autem lo-

(1) *Cum materia remota, videlicet termini triplici poſſint ordine diſponi, & veritas ſyllogiſmi, & ratiocinationis integra, & firma nihiloſecius manere; hinc triplex quoque* figura *promanat. Nam ſi termini ita diſponantur, ut medius ſit ſubiectum maioris propoſitionis, & praedicatum minoris, ſyllogiſmus* Primae*: ſi medius terminus loco praedicati bis ſumatur*, Secundae: *ſi locum ſubiecti bis teneat*, Tertiae Figurae *eſſe dicitur. Primae figurae exemplum eſto*: nullum creatum eſt infinitum: ſed omnis homo eſt creatus; ergo nullus homo eſt infinitus.
Alterius figurae exemplum eſſe poteſt: nullum peccatum eſt licitum: ſed aliquid ſolatium eſt licitum; ergo aliquod ſolatium non eſt peccatum.
Tertiae figurae exemplum ſit; omne myſterium revelatum eſt obſcurum: ſed omne myſterium revelatum eſt certiſſimum; ergo aliquod obſcurum eſt certiſſimum.
Hinc tres leges recte deduci poſſunt enunciatis figuris appoſite congruentes.
I. In figura prima maior propoſitio ſemper univerſalis, minor affirmativa eſſe debet.
II. In altera quoque maior univerſalis, & alterutra ex praemiſſis aeque ac concluſio negativa ſit.

III. In

loci non incongruum plane erit quatuor leges generales circa ſyllogiſmi figuram, ſeu circa terminos obſervandas proponere, quas perſpectas habeat, atque exploratas neceſſe eſt quiſquis recte vult ratiocinari. I. Itaque laborandum, ut in quovis ſyllogiſmo non ſit niſi unum medium, & duo extrema, ut ſuperius quoque indicavimus (1) in primo ſuperiori corollario; unde ſimul ac quatuor termini in unum compinguntur ſyllogiſmum, vitioſa exſurgit ratiocinatio, ut conſtat ex ſequenti ſyllogiſmo: *omne triangulum eſt figura geometrica: ſed omne quadratum eſt figura geometrica; ergo omne triangulum eſt quadratum*. Coniunguntur enim duo extrema *triangulum*, & *quadratum* cum duplici medio, nempe cum dupli-

---

III. In tertia minor affirmativa, concluſio vero particularis eſto.

Ariſtotelis regulas de ſyllogiſmi forma iuniores quidam minus neceſſarias pronunciarunt, modo perſpicue comprehendantur ſubiecti, & praedicati natura, & alterius ad alterum relatio: verum eos refellit, qui unus omnes acumine ſuperat, Leibnitius in Actis Erudit. an. 1684. p. 540.; *itidemque Wolfius* Logicae ſuae cap. 4. n. 22.

(1) *Syllogiſmus enim eſt probatio vel affirmans, vel negans unius de alio per aliud; ſcilicet maioris extremi de minore extremo per medium. In hoc enim ars tota eſt, ut duo extrema inter ſe componantur, quae cum medio comparata, tanquam cum aliqua norma, probe conveniant. Hinc axioma, quo uno veluti cardine tota vertitur argumentandi vis:* quae ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. *Itaque hic peccat ſyllogiſmus:* canis latrat: ſidus eſt canis; ergo ſidus latrat. *Canis enim geminam habet ſignificationem, proindeque duo media conſtituit.*

plici , ac diverſa *figura* geometrica , quae in maiore eſt figura trilatera , in minore eſt quadrilatera . Ergo ſyllogiſmus ille peccat contra primam legem , quia duplici medio , adeoque quadruplici termino componitur . II. Obſervandum inſuper , ut duo extrema neque latius , neque communius ſumantur in concluſione , quam in praemiſſis ; etenim a particulari ad univerſale non valet illatio , quia pars quidem in toto , non totum in parte continetur : exemplum eſto illud ſophiſma Diogeni Cynico obiectum , ab Agellio relatum (1) , & a D. Auguſtino memoratum : *tu non es , quod ego ſum : ego ſum homo* ; *ergo tu non es homo* . Nam *homo* , qui in concluſione negante ſumitur univerſaliter , contineri non poteſt in illa voce *homo* , quae eſt praedicatum minoris affirmativae , in qua particulariter accipitur (2) . III. Cavendum maxime , ne terminus medius concluſionem ingrediatur ; ſyllogiſmus enim in praemiſſis medium comparat cum extremis, ut oſtendat , extrema illa inter ſe convenire in concluſione , in qua duo ſola extrema coniungenda eſſe ex corollario tertio colligitur . IV. Tandem medius terminus debet in utraque , vel in alterutra ſaltem praemiſſarum

(1) *L.* 18. *c.* 13.

(2) *Sed clarius*: Tuum individuum, ut aliis humanis diſſimile , non eſt meum individuum , ut aliis humanis diſſimile: ſed meum individuum, ut aliis humanis ſimile, eſt aliquis homo ; ergo tuum individuum , ut aliis ſimile , non eſt ullus homo . *Ubi manifeſte ſeſe offert duplex medium* , diſſimile aliis , & ſimile aliis ; *adeoque quatuor ſunt termini* .

Digitized by Google

universalis eſſe, nempe ſecundum totam ſuam extenſionem accipi [1]; quapropter ineptus eſt hic ſyllogiſmus : *aliquod triangulum eſt aequilaterum : ſed aliquod triangulum eſt aequicrure ; ergo aliquod aequilaterum eſt aequicrure*. Siquidem medius terminus, ideſt *triangulum*, in maiore, & minore propoſitione particularis eſt, adeoque non pro uno, eodemque triangulo, ſed pro diverſis accipitur.

Quemadmodum ex varia medii cum extremis diſpoſitione figurae oriuntur ſyllogiſmi; ita ex diverſa propoſitionum complexione provenit *modus ſyllogiſticus*, qui a Scholaſticis definitur, *apta praemiſſarum ſecundum quantitatem, & qualitatem ad concludendum poſitio, & connexio*. Propoſitiones enim, quibus coaleſcit ſyllogiſmus, univerſales, vel particulares ſunt; aientes, vel negantes. Ex quatuor iſtis propoſitionum inter ſe comparatarum affectionibus progrediuntur ſexaginta quatuor modi ſyllogiſtici, de quibus Arnaldus, Clericus, aliique pertractarunt; immo carmina induxerunt ſatis barbara, & obſcura. Ab iis tamen producendis abſtinendum duximus, ne veſtram obruamus memoriam, praeſertim cum ex iis ſexaginta quatuor modis, Auctorum illorum ſententia, decem dumtaxat ſint utiles, ac rite concludant. Quaſdam nihilominus regulas in ſyllogiſticis modis ſervandas adſignamus, ut vitioſi a ſinceris ſyllogiſmis ſecernantur; quas

(1) *Si enim bis particulariter medium ſumeretur, coniungere non poſſet duo extrema; nam non unus foret idemque terminus, ſed alius, & alius.*

Digitized by Google

quas quidem, ut magis memoriae conſulamus, verſibus hisce complectimur:

Nil ſequitur geminis ex particularibus unquam;
Utraque ſi praemiſſa neget, nihil inde ſequetur;
Sit parti ſimilis concluſio deteriori;
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.

I. Igitur utraque, aut alterutra ſaltem praemiſſarum ſit univerſalis, aut certe ſingularis, neceſſe eſt; nam ex duabus particularibus nihil unquam concluditur, quia in eiuſmodi propoſitionibus medius terminus non ſimplex, & unicus eſt, ſed duplex, ac diverſus; quod primae generali ſuperius traditae legi adverſatur: unde vitioſus eſſet hic ſyllogiſmus: *quidam homines ſunt docti: ſed quidam homines ſunt indocti; ergo quidam homines indocti ſunt docti*; quod ſane contradictionem involvit.

II. Debet alterutra ſaltem ex praemiſſis eſſe affirmans; nam ex duabus negantibus nihil infertur. Et revera ex eo, quod duo non ſint tertio aequalia, deduci nequit, ea eſſe inter ſe aequalia, aut inaequalia; ſcilicet neque affirmans, neque negans concluſio elici poteſt, ut ex ſequenti patet ſyllogiſmo: *nulla materia cogitat: atqui nullus ſpiritus eſt materia*; ergo inde nihil conſequitur. Ceterum enunciata quaedam ita efferuntur, ut revera affirment, quamquam negare videntur. Id autem fit, quia continent enunciationem incidentem, vel terminum aliquem infinitum: ex. cauſſ. *illi non poſſunt iuſtificari, qui fidem non habent in Chriſtum Ieſum: atqui Hebraei fidem non habent in ipſum; ergo Hebraei non poſſunt iuſtificari*. Aſſumtio eſt affirmans,

 li-

licet negans videatur; ita enim eſt reſolvenda: *Hebraei ſunt illi, qui fidem &c.* Pariter ſi dicas: *quod extenſum non eſt, materia non conſtat: ſed Anima Rationalis extenſa non eſt; ergo materia non conſtat*, aſſumtio ita reſolvitur: *Anima rationalis eſt ſubſtantia non extenſa*. Iſtiuſmodi ſyllogiſmi ab Ariſtotele *infiniti* dicuntur (1).

III. Neceſſarium eſt, ut concluſio praemiſſam debiliorem imitetur, ſcilicet vel negantem, ſi alterutra ex praemiſſis fuerit negans; vel particularem, ſi praemiſſarum una particularis fuerit: extrema enim coniungenda non ſunt in concluſione generalius, quam fuerunt in praemiſſis coniuncta, ut in ſecunda terminorum regula ſuperius aſſignata tradidimus. Hinc ſyllogiſmum conficeret vitioſum, qui ita conſtrueret: *omnes Conſules ſunt honorandi: ſed aliquis Romanus fuit Conſul; ergo omnes Romani ſunt honorandi*.

IV. Demum ex duabus praemiſſis affirmantibus concluſio nunquam ſequatur negans, oportet; quae quidem lex per ſe notiſſima eſt: ſi enim extrema cum aliquo medio in praemiſſis conveniant, inter ſe quoque convenire debent in concluſione; unde ſi ea diſiungantur, vitium ſyllogiſmi emerget.

DE

(1) *L. 1. Prior.*

Digitized by Google

DE SYLLOGISMO COMPLEXO, CONIUNCTIVO, EIUSQUE SPECIEBUS:

CAP. II.

PRaeter ſyllogiſmum ſimplicem, in quo medium cum utroque extremo ſeorſim coniungitur in praemiſſis, eſt & ſyllogiſmus *complexus*, cuius nempe concluſio *complexa* eſt. In huiuſmodi ſyllogiſmo una tantum pars ſubiecti, vel praedicati concluſionis cum medio conſociatur in maiore propoſitione, in minore autem coniungitur altera pars cum eodem medio: exempli loco eſſe poteſt hic ſyllogiſmus: *Sol eſt res ſenſu expers: atqui Perſae adorabant Solem; ergo Perſae adorabant rem ſenſu expertem:* ubi patet, attributum concluſionis, nimirum *adorabant rem ſenſu expertem*, ita dividi in praemiſſis, ut una illius pars, ſcilicet *rem ſenſu expertem*, poſita ſit in maiore propoſitione, altera vero, nempe *adorabant*, in minore reperiatur.

Eſt & ſyllogiſmus *coniunctionis*, ſeu *coniunctivus*, cuius una praemiſſarum, ſcilicet maior propoſitio eſt *coniunctiva*, vel *compoſita*, atque ita diſtributa, ut una illius pars aſſumatur in minorem, altera in concluſione deducatur: huiuſce exemplum eſſe poteſt ſyllogiſmus iſte: *ſi mundus providentia adminiſtratur, atque conſilio, datur Deus: ſed mundus providentia adminiſtratur, atque conſilio; ergo datur Deus*. *Coniunctivus* autem ſyllogiſmus triplex eſt; *conditionalis*, *copulativus*, ac *diſiunctivus*.

Conditionalis eſt ille, cuius maior propoſitio conditionalis eſt, nempe duabus partibus compoſita per particulam *ſi* connexis, totamque in ſe concluſionem complectitur: ex. gr. *ſi materia a ſe ipſa non movetur, primus ille motus debuit a Deo imprimi: ſed materia non movetur a ſe ipſa; ergo primus ille motus a Deo imprimi debuit:* quo in ſyllogiſmo tota concluſio exprimitur in propoſitione maiore, quae duas habet partes, *antecedentem* unam, nimirum *ſi materia a ſe ipſa non movetur;* & *conſequentem* alteram, nempe *primus ille motus debuit a Deo imprimi.* Syllogiſmus iſte duobus innititur principiis, quorum primum eſt, quod poſito antecedente ponitur conſequens, ſeu verum prius, ergo & poſterius: *ſi Deus eſt iuſtus, punientur iniqui; ſed Deus eſt iuſtus; ergo punientur iniqui;* ex antecedentis veritate veritas conſequentis eruitur. Alterum vero principium eſt, quod ſublato conſequente tollitur & antecedens; vel potius falſum conſequens, ergo & antecedens, ut patet in hoc exemplo: *ſi quis extra Eccleſiam ſit ſalvandus, fallit nos Eccleſia: atqui Eccleſia nos haud fallit; ergo nullus extra Eccleſiam eſt ſalvandus.* Ex duobus iſtis principiis, quibus ſyllogiſmus conditionalis innititur, duplici ratione in ipſo argui poſſe infertur, primo *affirmative*, nimirum cum affirmato antecedente in minore, conſequens etiam affirmetur in concluſione: ſecundo *negative*, cum nempe negato conſequente in minore, reiicitur etiam antecedens in concluſione. Hinc duobus modis peccare poteſt ſyllogiſmus conditionalis: primo cum ex conſequente antecedens deducitur, quia non an-

antecedens in conſequente, ſed conſequens in antecedente continetur; unde peccat hic ſyllogiſmus: *ſi divites nihil cupiunt, ſunt felices: ſed divites ſunt felices; ergo nihil cupiunt*. Secundo cum reiecto antecedente conſequens etiam reiicitur: *ſi canis currit, movetur: ſed non currit; ergo non movetur*: vitioſus eſt ſyllogiſmus; nam ex negatione antecedentis infertur conſequentis negatio; quod fieri nullo pacto poteſt.

Copulativus ille eſt, cuius maior propoſitio eſt copulativa negans, eiuſque pars una in minorem aſſumitur, ut altera in conclusione tollatur: ex. cauſs. *non poteſt homo ſervire Deo ſimul, & mammonae: atqui avarus ſervit mammonae; ergo non poteſt ſervire Deo*. Tota idcirco huiuſce ſyllogiſmi vis pendet ex huiuſmodi oppoſitione partium, quibus conſtat copulativa propoſitio, ut ſi una affirmetur in minore, altera negari debeat in concluſione; quapropter ſyllogiſmus iſte deficeret: *non poteſt homo ſimul eſſe avarus, & prodigus: ſed non eſt avarus; ergo prodigus eſt*: etenim ſublato uno contrariorum non ponitur alterum. Arguere tamen licet ex negatione unius partis ad poſitionem alterius, ſi partes ipſae ſibi mutuo adverſentur ita, ut medium haudquaquam admittant: ex. gr. *non poteſt corpus moveri, ſimul & quieſcere: ſed non movetur; ergo quieſcit*: nam inter motum, & quietem non datur medius ſtatus, in quo corpus eſſe poſſit.

Diſiunctivus tandem dicitur ille, cuius maior ita eſt diſiunctiva, ut una ipſius pars affirmetur in minore, & altera in concluſione negetur; aut viciſſim: ut cum argui-

guitur: *Deus vel eſt infinitus, vel finitus: atqui eſt infinitus; ergo non eſt finitus;* vel contra: *qui Caeſarem occiderunt, aut parricidae ſunt, aut libertatis aſſertores: ſed parricidae non ſunt; ergo ſunt libertatis aſſertores*. Eiuſmodi ſyllogiſmus neceſſario poſtulat, ut optima ſit diſiunctiva propoſitio, ſcilicet ut huius membra nullum plane medium admittant. Omnes iſti aeque ac ſimplices ſyllogiſmi celebri ſolent diviſione diſtribui in *Apodicticos*, ſeu *demonſtrativos*; in *Topicos*, vel *dialecticos*, qui & *probabiles* dicuntur; in *Sophiſticos*, ſeu *fallaces*. *Demonſtrativus* ex praemiſſis conſtat neceſſario veris, nempe vel per ſe evidentibus, vel per alias propoſitiones iam probatis, ex quibus concluſio neceſſario vera educitur: *dialecticus* ex probabilibus propoſitionibus; & opinionem tantum parit: *ſophiſticus* ex falſis, ſub ſpecie tantum veris; & errorem producit.

DE VARIIS SOPHISMATUM GENERIBUS.

CAP. III.

Cum ſyllogiſticae argumentationis veritas in eo ſita ſit, ut ſyllogiſmus in ſua forma, non ſecus ac in materia recte ſe habeat; falſa proinde erit argumentatio, quoties vel in forma leges a nobis ſuperius traditae non ſervantur, vel quoad materiam alterutra praemiſſarum falſa eſt. Poſtulat ergo ſuſcepti muneris ratio, ut quomodo peccare poſſit argumentatio ratione materiae, brevi-

Digitized by Google

viter diſpiciamus [1]. Falſae argumentationes nonnunquam *paralogiſmi*, nonnunquam *ſophiſmata* appellantur. *Paralogiſmus* eſt ſyllogiſmus, qui falſam concluſionem aut ex vero, aut ex falſo principio elicit; adeoque nos fallit ſub ſpecie demonſtrationis. *Sophiſma* vero eſt argumentatio, qua homines decipiuntur ſub ſpecie probabilitatis; unde & *fallacia* ſolet nuncupari. *Fallaciae*, quae *logicae* dicuntur, ut ab iis, quae *grammaticae* [2] vocantur, diſtingui poſſint, ad aliquot capita reduci conſueverunt.

Omnium prima ea eſt, quae in Scholis *ignoratio elenchi* vocatur, quae idem eſt, ac *ignoratio eius, quod in adverſario eſt reprehendendum* [3]. Fit autem, cum id ignoratur, quod con-

---

(1) *Etenim, ut ſapienter advertit Quintilianus lib. XII. Inſtit. Orator. cap.* 1. Remedia melius adhibebit, cui nota, quae nocent, fuerint.

(2) *Fallaciae, quae dicuntur* Grammaticae, *quatuor a veteribus recenſentur; primae tres ad vocem unam, ac ſimplicem attinent, veluti* Accentus, Dictionis, Homonymia; *quarta autem ad plures voces ſimul compoſitas, nimirum* Amphibolia, *de quibus Art. Cog. Auctor in III. Log. Part.*

(3) *Adverſus Sophiſtas diſputat Ariſtoteles libro de* Elenchis *ſcilicet de reprehenſionibus Sophiſtarum; qui liber a nonnullis in duos diſpeſcitur.* Elenchum *autem, ſeu reprehenſionem dicit* cap. 1. eiuſdem libri *ſyllogiſmum contradicentem concluſioni, quae ab adverſario poſita eſt: & alium quidem eiuſmodi elenchum ait eſſe verum, alium falſum; hunc ſophiſtarum; illum ſapientum eſſe proprium. Sophiſtam quippe eum eſſe, qui ex fucata, falſaque ſapientia quaeſtum captet, & malit ſapiens videri, quam eſſe; ſa-*

contra adverſarium probandum eſt, & id probatur, quod ab eo non negatur, nec ad quaeſtionem pertinet.

Altera *petitio principii* dicitur, quae nihil aliud eſt, quam *petere*, *ſeu aſſumere tanquam certum*, *quod principio*, *aut initio quaeſitum eſt* (1). Ariſtoteles probaturus, tellurem in centro univerſi eſſe poſitam, id ſequenti ſyllogiſmo oſtendere contendebat: *gravia ad centrum univerſi natura feruntur*: *ſed experientia conſtat*, *ferri gravia ad centrum terrae*; *ergo centrum terrae eſt centrum univerſi*. In maiore aſſumit tanquam certum, exploratumque, idem eſſe centrum telluris, ac centrum univerſi: en *petitio*.

Imperfecta enumeratio eſt tertium fallaciae genus, qua *ex pauciſſimis ſtatim ad univerſale*, *vel ex quibuſdam dumtaxat partibus ad totum ſtatim evolamus*. Exemplum ſit ex vita civili mutuatum: ex quorumdam Eccleſiaſticorum, qui minus honeſte fortaſſe ſe gerunt, enumeratione, inferunt quandoque nonnulli Eccleſiae Miniſtris infenſiſſimi adverſarii, totum Clericorum coetum inhoneſtum vitae genus conſectari: ſtultam ſane, plenamque livore argumentationem!

Quarto loco exponenda occurrit *fallacia accidentis*, cum nempe *alicui rei per ſe tribuitur*, *quod convenit illi* *for-*

ſapientem contra veritatis amore teneri, *eam defendere*, *nec ſolum non mentiri*, *ſed aliorum etiam mendacia*, *atque fallacias detegere*, *ac confutare*.

(1) *Ad hoc Sophiſmatis genus eae quoque omnes argumentationes ſunt revocandae*, *quibus ignotum per aeque ignotum*, *vel ignotius oſtenditur*; *ſive incertum per aeque incertum*, *vel incertius*.

fortuito. In hoc itaque vitium labitur [1] quiſquis ex eo, quod verum tantum eſt per accidens, concluſionem infert abſolutam, & ſine ulla reſtrictione; ut male concludunt eterodoxi, qui pro diaboli commentis habendas eſſe affirmant Sanctorum invocationem, ſacrarum Reliquiarum venerationem, preceſque pro defunctis effuſas ex eo, quod nonnulli abuſus, ſuperſtitioniſque nonnihil in has ſacroſanctas, & ab omni antiquitate confirmatas praxes irrepſerint; rebus enim optimis malus uſus nullam poteſt maculam inferre; quippe nihil eſt adeo ſanctum, quod ab humana malitia in pravum uſum verti aliquando non poſſit.

Fallacia non cauſſae pro cauſſa in argumentationibus reperitur, cum *cauſſae loco affertur, quod vera cauſſa non eſt*; ut cum certi planetarum aſpectus dicuntur cauſſa ſterilitatis, peſtilentiae &c.: cum malae hominum affectiones, & vitia ex certo quorumdam ſiderum influxu, veluti ex fato derivantur [2].

Ar-

(1) *In hunc quoque ſcopulum impingit, cui ſimplices rerum occaſiones verarum cauſſarum loco ſunt. Hinc perperam Chriſtianae Religioni imputaretur tot millium ſtrages, qui maluerunt ſanguinem profundere, quam Chriſtum Dominum negare. Non enim Religioni Chriſtianae, nec Martyrum conſtantiae hae caedes tribuendae, ſed Ethnicorum impietati, ac ſaevitiae.*

(2) *Hoc ſane vitium interdum ex praecipitantia oritur in iudicando, plerumque vero ex ſuperbia. Malumus enim, eorum effectuum, quorum vera nos latet origo, alienas, & imaginarias potius cauſſas comminiſci, quam inſcitiam noſtram*

Argumentari ab eo, quod non eſt verum niſi aliqua ex parte, ſive ut aiunt, *ſecundum quid, ad id, quod eſt verum ſimpliciter, & abſolute*, ſexta eſt argumentationum fallacia. Perperam igitur ratiocinantur Ianſeniſtae, qui Dei praecepta ex eo, quod ſolis naturae viribus divina Gratia deſtitutis impleri nequant, ſimpliciter, & abſolute impoſſibilia pronuntiant; nam ab eo, quod ſecundum aliquem dumtaxat modum verum eſt, nihil poteſt deduci abſolute verum.

Argumentari a ſenſu diviſo, ut inquiunt, *ad ſenſum compoſitum*, aut viciſſim *a ſenſu compoſito ad ſenſum diviſum*; primum *compoſitionis*, alterum *diviſionis* ſophiſma appellatur. *Compoſitio* eſt fallacia, *quae oritur ex coniunctione illarum vocum, atque notionum, quae rite intelligi nequeunt, niſi diſiungantur*. Chriſtus Dominus de patratis a ſe miraculis edifferens, ait: *coecos videre, claudos ambulare, ſurdos audire &c.* quorum ſingula ſi coniunctim, ideſt in ſenſu compoſito ſumantur, vera quidem haud ſunt; nam coeci non vident, quamdiu ſunt coeci &c. Si

ſtram ingenue, candideque fateri. Itaque ne in hoc vitium incauti labamur, longum pro rerum dignitate ad ipſas conſiderandas tempus inſumere, plurimumque attentionis, ac diligentiae in earum inveſtigatione, & examine collocare, pigere nos haudquaquam debet. Candide quoque fateri nos minime pudeat, neſcire, quod neſcimus; ut enim praeclare monet Tullius lib. 3. *QQ. Tuſc. c.* 28. Ex ceteris Philoſophis nonne optimus, & graviſſimus quiſque confitetur, multa ſe ignorare, & multa ſibi etiam, atque etiam eſſe diſcenda?

Si autem haec diviſim, ſcilicet in ſenſu diviſo accipiantur, ut revera accipi, & intelligi debent, veriſſima ſunt. *Diviſio* eſt fallacia, in qua *dividuntur*, *quae non dividenda*, *ſed potius coniungenda forent*: falſum proinde eſſet in ſenſu diviſo, maledicos, fornicatores, avaros in regnum caelorum non intraturos; nam Divus Paulus non aſſerit, eos, qui eiuſmodi aliquando vitiis detenti fuere, ſalutem non conſequuturos aeternam, ſed illos dumtaxat, qui in iiſdem vitiis permanſere, nec ad Deum toto corde ſeſe converterunt.

Explicanda tandem venit octava, & ultima fallacia, quae eſt *tranſitio a genere in genus*: ut ſi ad ea, quae naturalia ſunt, probanda, myſterio aliquo utamur; aut viciſſim: item cum Mathematici a ſtatu ideali, & mathematico ad realem, & phyſicum tranſeunt [1].

Vitiis hiſce omnibus aliud quoque debet adiungi inter argumentandum frequentiſſimum, quod *circulus* vocatur, cum ſcilicet eo redit argumentatio, unde digreſſa primo

(1) *Oſtendunt Geometrae*, *lineam perpendicularem per extremum diametri circuli punctum ductam*, *in hoc ſolo puncto circulum tangere*; *idque* mathematice *verum eſt*, *ut videri poteſt in* Prop. 16. lib. 3. Elem. Eucl. *At ſi hinc colligi velit*, *exiſtere puncta*, *ſeu indiviſibilia phyſica*, *omnis plane extenſionis expertia*, *minime iuſta erit concluſio*; *quoniam fiet tranſitus a genere in genus*. *Hinc Plato*, *qui Geometriae ſtudium impenſius coluit*, *&* *egregiis ſemper laudibus Geometriam exornavit*, *Architam tamen*, *&* *Eudoxum*, *alioſque reprehendit*, *quod ſpeculationes mathematicas ad ſenſibilia traducerent*, *&* *illis iſta comprobarent*; *quo Geometriae bonum corrumpi affirmavit*.

fuerat. [1] Huiuſmodi vitio laborat illud Ariſtotelis argumentum, quo probare contendebat, inerrantia ſydera ſcintillare, quia plurimum a nobis diſtant; & plurimum diſtare, quod ſcintillent [2]. Caveamus tamen hoc loci, opus

(1) *Argumentatio haec procedit ab eodem ad idem per eamdem demonſtrationis formam; & cognitio utrimque orta nugatoria, futiliſque eſt; ut ſi quis dicat:* Plato eſt homo, quia rationalis; eſt rationalis, quia homo: *Per huiuſmodi argumentationem nihil prorſus efficitur. Hinc dicitur* ὑπήρου τροπὸ piſtilli verſatio; *& adhibetur proverbii loco a Philemone in Heroibus adverſus eos, qui eadem per eadem faciendo nihil promovent. Tres ſunt* circuli *conditiones; prima, ut utraque demonſtratio ſit per cauſſam; ſecunda, ut utraque ſit per idem cauſſae genus; tertia, ut idem non ſolum ſpecie, ſed etiam numero ſit id, quod probat, & quod probatur.*

(2) *Idem nobis imputant vitium Chriſtianae Religionis adverſarii, praeſertim vero Io. Gottl. Heineccius in ſuis Philoſophiae Rationalis Elementis p. 1. c. 3. Sect. 1. §. CV, inquiens:* Circulum iidem, *nempe Catholici*, committunt, dum Eccleſiae ſuae veritatem probant teſtimonio Scripturae; Scripturae divinitatem teſtimonio Eccleſiae. *At ſi res aequa lance perpendatur, circuli vitium prorſus evaneſcet in hoc argumento.* Evangelio non crederem, *inquit D. Auguſtinus contra Epiſt. Manich. c. 5.*, niſi me Eccleſiae commoveret auctoritas. *Et idem S. Doctor lib. 1. contra Creſcon. Grammat. c. 33.:* Hoc fecimus, *ait*, quod univerſae iam placuit Eccleſiae, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas. *Credendum igitur Eccleſiae, quia ita iubent Sacrae Literae; credendum Sacris Literis, quia ita iubet Eccleſia. Hoc autem, reponunt adverſarii, quid eſt aliud, quam inani circuitu nugari, & Sa-*

opus eſt, ne vitioſus circulus cum ea confundatur argumentatione, quae *regreſſus* a philoſophis appellatur; ingens enim illius a circulo diſcrimen eſt, nec raro a viris etiam peritiſſimis regreſſus ipſe in demonſtrando utiliter adhibetur. Regreſſus itaque fit, cum a noto effectu ad cauſſam, quae latet, gradum facimus, ipſamque ex illo colligimus; deinde ab ea ſic cognita ad effectum regredimur, oſtendendo nimirum ex ipſa cauſſa, quae ſit effectus natura, & qua ratione produci ille poſſit (1).

Sacras Literas per Sacras Literas, Eccleſiam per Eccleſiam demonſtrare? At quantum a vero ipſi aberrent, invicte etiam oſtendit in ſuo aureo plane opere de Locis Theologicis *doctiſſimus Melchior Canus ita ſcribens:* non eſt Eccleſiae auctoritas ratio per ſe movens ad credendum, ſed cauſſa, ſine qua non crederemus. *Id vero eiuſmodi illuſtrat exemplo:* proponit Eccleſia Evangelium Matthaei eſſe a Deo revelatum, nec mihi proponere, niſi verum poteſt: ego igitur non credo, Evangeliſtam dicere verum, quia Eccleſia eum dicat verum dicere; ſed quia Deus revelavit. Et tamen Eccleſia proponens eſt cauſſa, ſine qua non admitterem, illud Evangelium eſſe Matthaei. *Exinde ergo concluditur, nullum vitium reperiri in Catholicorum argumento, quo Sacrarum Literarum veritatem per Eccleſiam, veritatem Eccleſiae per Sacras Literas ipſi demonſtrant.*

(1) *Effectus dicitur notus* cognitione confuſa; *cum vero per cauſſam oſtenditur, fit notus* cognitione diſtincta: *qui ordo pertinet ad Phyſicum procedentem a toto ad partes, ab effectis ad cauſſas, ut docet Ariſtoteles* in lib. 1. Phyſic. cap. 1., *qui hac utitur in Phyſicis argumentatione. Nam a generatione, quae ſenſibus ſubeſt, procedit ad prin-*

ci-

LOGICES PARS QUARTA.

DE METHODO.

CAP. I.

CUm omnia Logiees praecepta eo collineent, ut tuta nobis, atque expedita ad veritatem aſſequendam via, & ratio aperiatur; & cum praecepta haec vix, aut aegre

---

cipia rerum naturalia detegenda: deinde vero ab bis tanquam cauſſis regreditur ad generationem ipſam oſtendendam in libris de ortu, & interitu. Eadem ferme ratione nos ab Eccleſia velut ab effectis procedimus ad cognoſcendam Sacrae Scripturae veritatem; deinde vero per ipſam Sacram Scripturam tanquam per cauſſam regredimur ad Eccleſiam confirmandam. Id porro extra omnem dubitationem ponetur, ubi oſtenderimus, Eccleſiae auctoritatem eſſe aliquid nobis notum, planeque evidens, ut eſt in rebus naturalibus generatio. Non multis verbis agam: ignorari non poteſt, quod luce miraculorum manifeſtatur. Ergo ut in tanta religionum varietate, ubi Divinus Spiritus reſideret, oculis ipſis dignoſceremus, Deus Eccleſiam ſuam virtute miraculorum ornavit, quam nemo poſſet niſi voluntario ſcelere, & intolerabili malitia diſſimulare. Cum enim miraculorum vis naturam ſuperet, ſtatim apparet, non eſſe niſi ab illo, qui eſt ſupra naturam. Hinc ſummus ille rerum Parens, & germanae Religionis Auctor, ne impiis quidem miraculi patrandi facultatem denegare voluit, quoties veritas tanta manifeſtanda eſſet, ne ulla unquam errori cauſſa praetenderetur. Nulla bic piſtilli verſatio, *nullus* circulus. *Evangelium manifeſtat Eccleſia, Eccleſiam miracula patefaciunt.*

Hinc

aegre ſaltem adhiberi feliciter ſoleant, niſi illis perſpicuus ordo, ac plurimus ſplendor accedat; optimo, ſapientiſſimoque conſilio complures ex veteribus, recentioribuſque philoſophis hanc quoque ceteris Logicae partibus addidere, quae clarius oſtenderet, qua methodo ſint diſponendae idearum, iudiciorum, & ratiocinationum leges, ut occulta veritas inveſtigetur, aut certe iam inventam ceteri doceantur. Itaque in hac ultima Logices parte de Methodo tractaturi, quae ceterarum mentis noſtrae operationum eſt veluti apex, & complementum, ut ordine progrediamur, primo eius naturam explicabimus, deinde vero ad illius diviſionem tradendam gradum faciemus.

Methodus [1] generatim ſumta eſt *via, & ratio inquirendi veri, quod adhuc latet, & illius explicandi, cum iam inventum eſt*. Hinc duplex methodus emergit, *Analytica* nempe, ſeu *reſolutionis*, & *inventionis*, atque *Syn-*

 the-

Hinc ſi quis velit via, & ratione dialectica de re hac diſputare, a miraculis exorditur, tanquam a praecognitis, & per ea invenit Eccleſiam; per hanc deinde detegit divinum verbum; poſtremo per illud, veluti per cauſſam primam, veram, & neceſſariam regreditur ad Eccleſiam ipſam, eiuſque myſteria demonſtranda.

(1) Methodum *inter*, & ordinem *illud intercedit diſcrimen, quod ordo facit, ut rem unam diſcamus poſt aliam: methodus vero, ut unam per aliam: methodus ergo non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam, & iudicio res invenit, inventaſque diſponit. Ordo memoriae lumen affert ad res retinendas; methodus lumen menti affert ad res cognoſcendas, atque explicandas.*

Digitized by Google

thetica [1], ſive *compoſitionis*, & *doctrinae*: haec a principiis ad concluſionem; illa vero a concluſione ad principia procedit.

DE METHODO ANALYTICA.

CAP. II.

Analyſeos nomen pro ratione inveniendi veri, aut propoſitae quaeſtionis ſolvendae a philoſophis uſurpatur. Methodus enim analytica definitur, *via*, *& ratio definitionis inveniendae per reſolutionem compoſitorum in ſimplicia*, *totius in partes*, *effectorum in ſuas cauſſas*. Haec autem adhibetur non in integra quadam ſcientia pertractanda, ſed in praecipua dumtaxat quaeſtione ſolvenda; quae quidem ſoluta ad eam facultatem, cuius eſt propria, referenda, & ſynthetica deinde methodo eſt explicanda. Quaeſtiones, quae proponuntur, aut circa *nomina*, aut circa *res* verſantur. *Quaeſtiones nominum* eae ſunt, per quas ex nominibus res ſignificatas venamur; puta cum auctoris alicuius ſenſum expiſcari; vel libri, aut ſcripti verum auctorem invenire contendimus. *Quaeſtio rei* quadruplex eſt; I. cum ex effectibus cauſſa quaeritur [2]; II. cum

(1) Analyſis, *&* Syntheſis *voces ſunt a Geometria ſumtae*, *ut ſcribit Philoſophus* ad init. lib. 1. Poſter., *quemadmodum &* Syllogiſmus, *& aliae in Logica uſurpari ſolitae*. *Veteres enim haec ſtudia poſt Geometrica ſuſcipiebant*, *proindeque multas formulas ex illis traducebant*.

(2) *Magnetis*, *vel aeſtus marini varios novimus effectus a cauſſas illorum ope indagamus*.

Digitized by Google

II. cum ex cauſſa effectus inveſtigatur [1]; III. cum a partibus ad totum progredimur [2]; IV. cum ex toto, & parte aliqua, altera pars indagatur [3].

DE METHODI ANALYTICAE REGULIS GENERALIBUS, ATQUE SPECIALIBUS.

CAP. III.

Quaecumque ſit quaeſtionis ſolvendae indoles, duo haec ſervanda ſunt generalia praecepta. I. Determinandum nobis, nitideque definiendum illud eſt, in quo noſtra verſari debeat inquiſitio, ſemperque prae oculis habendus quaeſtionis apex. II. A notioribus [4], & facilioribus ad ea, quae minus nota, ac diffi-

(1) *Magnam eſſe ventorum, & fluminum vim ad motum aliis corporibus imprimendum, ab omni aevo apud homines conſtitit. Inde factum eſt, ut nonnulli eiuſmodi cauſſas ad effectus plurimos hominum ſocietati perutiles adhibuerint; idque tum maxime praeſtiterunt in piſtrinis, quorum molae ventorum, vel aquarum impulſu cum magno humani laboris levamine circumaguntur.*

(2) *Id autem fit in duabus illis arithmeticis operationibus, quarum una* additio, *altera eſt* multiplicatio; *in hac enim productum ex multis colligitur; in illa multarum partium aggregatum reſultat.*

(3) *Hoc plane conſtat in ceteris duabus operationibus arithmeticis, in* ſubtractione *nimirum, &* in diviſione.

(4) *In qualibet enim quaeſtione ſemper aliquid habetur nobis pla-*

ficiliora ſunt, progredi debemus. Generalibus iſtis methodi analyticae legibus ſpeciales alteras nobis adnectentibus, quiſquis veritatem aliquam perveſtigare, aut quaeſtionem expedire molitur, I. perpendat neceſſe eſt, utrum ad id idoneus, aptuſque [1] ſit; ſi enim quaeſtio verſaretur in re Thelogica, Mechanica, Aſtronomica, nonne perridiculus eſſet, qui nullis prius earum facultatum notionibus animo imbuto in ſcenam prodiret Theologum, Mechanicum, Aſtronomum acturus? II. Quod ſi quaeſtioni enodandae ſe idoneum noverit, altera lex monet, ut animadvertat, ſimplex ne quaeſtio ſit, an compoſita; ſi compoſita, in omnes ſimplices eam ſtudioſe dividat, & minutatim examinet; quaeritur ex. cauſſ. qui nam uſus, & conſtructio partium oculi. Utraque dividenda eſt quaeſtio, diligenterque diſcutienda; nam cum attentio noſtra breviſſima ſit, in pluribus ſimul verſari non debet; adeoque ad ſecundam prius quæſtionem ſolvendam nobis eſt attendendum. III. Etenim tertia lex iubet, ut eas primum controverſias dirimamus, quae lucem aliis praeferre poſſunt. Et re quidem vera niſi conſtet, quaenam ſint oculi partes, earumque ſtructura, ex-

plane notum. Mens quippe noſtra ignotis in tantum capiendis, *ut inquit Artis cogit. Auct. p.* 4. *c.* 2. par eſt, in quantum diverſimode illa participant de eorum natura, quae nobis prius nota erant.

(1) *Huc traduci poteſt Horatianum illud:*
Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, aequam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri...

explicari nequit, qui ſit ipſarum uſus. Hiſce peractis, IV. praecipitur, ut diligentiſſime perquirantur, quaecumque cum propoſita quaeſtione connexionem habent (1), praeſertim vero principia ſolida (2), quibus veritas inveniatur, aut quaeſtio ſolvatur; ideae pariter mediae (3) inve-

(1) *Demonſtrandum ex. cauſs. eſt, Chriſtianam Religionem eſſe veram. Multa ſane ex intimiori Metaphyſica, Ethica, Phyſica, Hiſtoria Gentili, & Iudaica, Critica ſcitu neceſſaria ſunt. Haec plane regula ab eo ſervari nequit, qui primam ſuperius allatam legem non ſervavit; difficile enim eſt, illum poſſe haec undequaque arceſſere praeſidia, niſi in ea ſcientia, ad quam quaeſtio pertinet, ſit verſatus.*

(2) *Niſi praeſto ſint principia, ulterius progredi non poteſt, quiſquis quaeſtioni expediendae, ac vero inveniendo ſe dedat. Locos communes, unde haec ſumerentur principia, Dialectici excogitarunt; verum inutiles prorſus ſunt, niſi primi canonis praeſidio ad huiuſmodi examina quis accedat. Qui enim principia quaerit, quibus quaeſtionem aliquam mathematicam, aut phyſicam enodet, niſi mathematicas, phyſicaſque callueris diſciplinas, ex locis illis communibus nullum ſperet auxilium.*

(3) *Excogitandae inſuper una, pluresve ideae mediae, quae ſolutioni quaeſtionis poſſint inſervire. Dum relatio aliqua nobis quaerenda proponitur, nihil antiquius eſſe debet, quam evolventes nos, quae in memoriae promtuariis deliteſcunt, perpendere, ac videre, quidnam poſſit tanquam quaedam menſura communis adhiberi ad propoſitam quaeſtionem dirimendam. Quaeritur ex. gr., utrum animus humanus ſit immortalis. Obſervo in hac diſceptatione metaphyſica, nullum habere locum nec experientiam, nec ſenſuum uſum. Animus incorporeus a natura materiae eſt longe lateque remotus: experimenta minime poſſunt inſtitui, nec viſu, nec ta-*

veſtigandae ſunt, quibus ceterae poſſint comparari. Omnium autem controverſiarum principia ad tres ſummos fontes revocari poſſe viſum eſt celeberrimo viro Antonio Genuenſi, ad *rationem* nempe, *experientiam*, *auctoritatem*. Quaeſtiones mathematicae ad primam claſſem re-

---

tactu, nec auditu, nec ullo ſenſu, qui ſit animi ſtatus in hac vita, quis ſit poſt mortem futurus, explorari poteſt. Quid igitur reſtat? Solum ratiocinium, cuius ope eiuſmodi tollitur dubium. At non quaelibet ratiocinatio ad id confert; ſed ea praeſertim, quae indirecta eſt, quaeque abſurda conſectaria elicit ex eo, quod animus cum corpore interiret. Sed quodnam eſt maximum abſurdum, niſi illud, quod ex divinis laeſis attributis dimanat, ſi animus humanus aeternum corpori ſuperſtes haud foret: id autem breviter ita poteſt explicari. Deus exiſtit, ut evidentia demonſtrationis, quam in Metaphyſica trademus, elucet. Deus, qui exiſtit, infinite iuſtus eſt, ut ibidem patebit. Iuſtus autem nemo dicitur, niſi qui facit, ut bonis bene ſit, male malis: at id non obſervamus in hac vita; immo nobis videre pluries contingit, ſontes deliciis affluere, tranquillam degere vitam; innocentes vero opprimi, calamitatibus undequaque divexari, miſereque vivere: ergo altera manet vita, in qua poenae, & praemia erunt pro meritis diſtributa a Numine aeterno, qui non poteſt non cognoſcere, quis ſit ſtatus praeſentis vitae, & remedium afferre. Tali vel ſimili pacto veritatem hanc aliis tradidiſſemus, quamvis, dum eamdem perquirebamus, inverſam methodum eſſemus conſectati. Si animus non eſſet immortalis, cum corpore periret: verum animi interitus pugnat cum divinis attributis; non enim amplius Deus iuſtus eſſet, cum ſineret inſontes algere, famem, ſitim pati, calumniis agitari; impios vero tranquillos eſſe. Ergo concludendum, animum humanum poſt mortem ſupereſſe, adeoque fore immortalem.

referuntur ; quarum principia ſunt definitiones, axiomata, propoſitiones demonſtratae, hypotheſes. Quaeſtiones phyſicae ad alteram ſpectant claſſem, earumque principia ſunt experimenta, obſervationes, & axiomata generalia legitima inductione excitata. Ad tertiam tandem revocantur quaeſtiones Theologicae, Iuridicae, Hiſtoricae, quarum principia ex Sacrae Scripturae teſtimoniis, aliiſque locis Theologicis (1); ex Legum Codicibus; ex Hiſtoricis petuntur.

Ne plura. Chriſtianus Wolfius anteacti ſaeculi Philoſophorum facile princeps methodum veritatis, ac ſcientiae comparandae certis praeceptis comprehendit, fuſeque expoſuit *in Diſcur. Praelimin. Logic. c.* 4. Utere vocibus apta definitione explicatis: principia ne admittas, niſi plane probata: enunciata omnia fac ex huiuſmodi principiis oriantur: rite recteque demonſtra: in explicando, & demonſtrando conſequentia ex antecedentibus nota facito: eas dumtaxat hypotheſes ſume, quae veri viam aperiant: a certis probabilia, & a rebus verba probe diſtingue. Quibus omnibus ſervatis poſtrema haec adiicienda lex eſt. Si quis diu perquiſiverit, nec verum repererit, examen redintegret. Si iterum fruſtra tentaverit, ne pronunciet rem aut falſam, aut minus poſſibilem ex hoc tantum, quod non intelligat, niſi adeo ſit perridiculus, ut mentem ſuam veri, & falſi menſuram putet.

DE

(1) *Prae aliis videndum aureum illud Melchioris Cani opus de Locis Theologicis.*

Digitized by Google

DE METHODO DISPUTANDI EIUSQUE LEGIBUS.

CAP. IV.

AD inveſtigandam veritatem comparatae etiam ſunt diſputationes (1), licet hominum vitio ſaepe contingat, ut veritas diſputando magis magiſque latitet, interdum vero omnino evaneſcat: quod quidem partim diſputantium affectibus, cavillandi ſtudio, pertinaciae; partim neglectae methodo eſt tribuendum. *Diſputatio eſt duarum ſententiarum contradictorie ſibi oppoſitarum* (nimirum theſeos, & antitheſeos) *accurata, & per iuſtas ratiocinationes facta comparatio*. (2) Cur autem propoſitiones contradi-

---

(1) *Diſputationum finis eſſe debet veritatis inveſtigatio; unde patet, I. diſputantes a ſe ablegare debere vanum gloriolae cuiuſdam aucupium: II. ex diſputationibus exulare oportere ſophiſmata omnia, fraudes, odia, convicia, quibus alter alterum ludibrio exponere ſtudet; nam qui biſce armis inſtructis in arenam prodeunt, dum ſe invicem petunt, ipſam veritatem confodiunt. Diſputantes enim eſſe decet in colloquio mites, in audiendo quietos, in docendo officioſos, in reſpondendo blandos.*

(2) *Utilitas diſputationis, vel privata ea ſit, vel publica; mira prorſus eſt, ac plane eximia*. Languorem enim privatae meditationis, *inquit Petrus de Croſa P. 4. Logic. cap.* 10., utraque diſceptatio ſupplet, promtam cum ad cogitandum, tum ad eloquendum facultatem conciliat, acuit ingenium, & iudicium in veri a falſo diſceri-

Digitized by Google

dictoriae a diſputantibus defendi debeant, perſpicuum eſt; niſi enim hoc fieret, contingere quidem poſſet, ut diſputantes ipſi defendant theſes omnino veras; unde diſputationes in vagos ſermones, ineptaſque declamationes degenerarent. Cum inſu er diſputatio theſim, & antitheſim inter ſe comparet; hinc eruitur, reſpondentis eſſe, theſim proponere examini ſubiiciendam; opponentis vero eidem obiicere antitheſim, ſcilicet propoſitionem contradictoriam vel entymemate, vel brevi aliquo ſyllogiſmo ita comparato, ut eius concluſio ſit ipſa anthiteſis (1). Tum re-

ſcrimine roborat, dum talibus in exercitiis obiecta ab omni parte verſantur, occaſioneſque praebentur eorum excogitandorum, quae alias in mentem forte nunquam veniſſent. *Fatendum tamen cum eodem viro doctiſſimo, nihil quoque eſſe diſputatione pernicioſius, ſi ea abutamur.* Diſputandi ſiquidem habitu, *ait, & recte quidem*, evadunt plerique impudenter audaces, faſtidioſe ſuperbi, moleſte garruli, pertinaci contradicendi ſtudio intolerabiles. Excitat diſputatio affectus aemulationis, pudoris, irae nonnunquam; a ſedato ſtatu, qui ad veritatem contemplandam adeo neceſſarius eſt, mentem abducit; unde diſputatione ſaepius obſcuratur veritas, quam illuſtratur.

(1) *Si quid obſcuritatis inſit theſi, ea a reſpondente alterius rogatu explicanda, ne in λογομαχίαν diſputantes incidant; & ita ambiguitas omnis aufertur. Opponentis inſuper eſt, non modo theſim indicare, quam impugnare decreverit, ſed etiam, ſi paullo prolixior ea ſibi videatur, accurate definire, quid in illa impugnare velit. Et haec eſt illa* ſtatus quaeſtionis formatio, *quae primam diſputationis*

reſpondenti onus incumbit, argumentum opponentis accurate aſſumendi, aut repetendi (1); ac primo diſpicere ipſe debet, num forte in ſyllogiſmi forma vitium haereat (2). Quod ſi forma nullo vitio laboret, in alterutra praemiſſarum aliquid falſi latitabit, ſi falſus eſt opponentis ſyllogiſmus. Tunc vero reſpondens negabit propoſitionem illam, quam falſam deprehendit, eiuſque exiget probationem (3).

Ita-

nis partem merito conſtituit, qua ſublata, nihil utilitatis ex diſputatione expectandum. Non decet quoque, opponentem condere ſyllogiſmos prolixos, & quos vel robuſtiſſimus agricola vix ſine laterum dolore recitare poſſit. Nam quo breviora ſunt tela, eo fortius iis pugnatur cominus.

(1) *Id non oſtentandae memoriae cauſſa repertum, ſed ut appareat, reſpondentem opponentis argumentum ſatis intellexiſſe. Et ſane qui id intellexit, is admodum infans eſſe videretur, niſi illud vel iiſdem, vel aliis verbis idem ſignificantibus poſſet repetere.*

(2) *Hac quidem in re diſputantes hodierni plerumque ſunt negligentiſſimi; & tamen neglecto formae vitio ad materiam reſpondere velle, eſt laterem lavare, & magno conatu maximas nugas agere. Compluribus exemplis id ſolide demonſtravit Philoſophus accuratus* Cornelius *Martini* Analyſ. Logic. Part. 1. c. 5. & ſeqq. *Unde veteres philoſophi perperam ſolverunt argumentum Meliſſi;* ſi ens generatur, habet principium: ſed non generatur; ergo non habet principium. *Quum enim reſpondere debuiſſent ad formam ex regulis ſuperius propoſitis, cum de ſyllogiſmo conditionali egimus; ipſi in materia fruſtra haeſerunt.*

(3) *Hic autem in vagam declamationem ſolet opponens exſpatiari, aut plerumque idem per idem* μετὰ πολλῆς φαντασίας

pro-

Itaque obſervandum ab opponente eſt, I. ut directe ipſe probet, quod ſibi a reſpondente negatum eſt; in hoc enim, ut per ſe patet, opponentis munus conſiſtit. II. Caveat, ne medium mutet, quod primo ad theſim impugnandam aſſumtum ab eo fuerat; alioquin ſuae famae detraheret: hinc enim iure infertur, aut *medium* primo aſſumtum, ipſiuſmet etiam opponentis iudicio, nullius roboris eſſe; aut nonniſi leviter ipſum verſatum eſſe in re, de qua diſceptatur; aut demum optimae argumentationis leges ab eo penitus ignorari. III. Nihil tanquam certum aſſumere ille debet, quod a reſpondente negari iure poſſit, vel in dubium verti. Obmuteſcere quippe cogetur opponens, ſi eiuſmodi principium ei minime a reſpondente admittatur. Servatis ab opponente hiſce legibus in ſuis argumentationibus, tunc ad reſpondentem res redit, cuius erit officium, [ubi opponentis fundamentum per eius probationem in aprico eſt] argumentum ſolvere, & propoſitionem aliquam vel in proſyllogiſmis (1), vel in argumento primario negare.

probare contendit. Sed non recte ſe gerit reſpondens, *ſi in ea re acquieſcat. Immo iure quodam ſuo urgebit, ut* opponens *propoſitionem negatam forma ſyllogiſtica probet. Si vero ne ſic quidem in proſyllogiſmo omnia rite ſe habeant*, *vel vitium ſtatim indicandum, vel nova probatio alterutrius praemiſſae exigenda; idque tamdiu faciendum erit, donec iam ad fundamentum perveneris, quod opponens ſententiae ſuae ſubſtravit.*

(1) *Proſyllogiſmi enim continent fundamenta, quibus* opponentis *argumentum innititur; iiſque ſubrutis, quidquid iiſdem fuerat ſuperſtructum, corruat, neceſſe eſt.*

re(1). Soluto obiectae difficultatis nodo, ſatius eſt quieſcere, quam vel aliud medium aſſumere, vel optimam ſolutionem niſi futiliter labefactare; ſuo enim fine tunc fruſtratur diſceptatio, neque opponens ſuadere unquam poterit, non invida contradicendi libidine, ſed inquirendae ſolum veritatis ſtudio ſe in arenam deſcendiſſe. Hae ſunt praecipuae diſputationum leges, quibus accedat neceſſe eſt huiuſmodi conditio, ut nempe diſputantium animus a praeiudicatis opinionibus immunis prorſus ſit, & ad inveniendam veritatem paratiſſimus.

DE

(1) *Reſpondendum ſyllogiſtica forma ad opponentis argumenta, idque fit quadruplici ratione: I.* per conceſſionem, *ſi iam appareat, opponentis argumentum non eſſe contra theſim: II. per* inſtantiam, *ſi adducto caſu contrario oſtendatur, propoſitionem aliquam non eſſe univerſaliter veram: III. per* inverſionem, *ſi probetur, ex ea propoſitione theſim ſuam profluere: IV. per* diſtinctionem, *& limitationem: ubi vero* diſtinctione *utitur reſpondens, ea breviter exponenda applicandaque erit, deinde vero limitandum ex ea argumentum, quod iſta diſtinctione infringere ſtudet. Et haec ipſa eſt vera methodus analytica, cui in diiudicanda veritate locum eſſe diximus. Eſt enim illa, ut inquit Heineccius* Elem. Logic. P. 1. c. 4. ſect. 3. §. 229. *meditatio, qua concluſiones ad ſua principia, vel phaenomena ad ſuas hypotheſes, tanquam ad lydium lapidem examinamus.*

Digitized by Google

DE METHODO SYNTHETICA EIUSQUE LEGIBUS.

CAP. V.

CUm veritas methodo analytica inquiſita iam fuerit inventa, tum ſynthetica methodo utamur oportet, ſi aliis ſit demonſtranda. Haec etenim methodus definitur, *ars diſponendi notiones noſtras, ut verum nobis iam plane notum palam aliis fiat, nitideque oſtendatur*. Syntheſis penes Logicos eſt *methodus doctrinae tradendae*, ſeu *veritatis demonſtrandae*. In hac autem methodo a ſimplicibus ad compoſita, a partibus ad totum, a cauſſis ad effectus cognitio gradatim aſcendit; quae ſane methodus ideo analyticae praeferenda, quod facilior eſt, & a facilioribus ſemper exorditur, ut ad difficiliora ſenſim progrediatur. Huiuſce methodi perfectum exemplar a geometrica diſciplina eſt repetendum; nullibi enim res maiore pertractantur ordine, neque accuratioribus fulciuntur demonſtrationibus, quam Geometrarum libris (1).

(1) *Methodus ſynthetica, cum a Geometris potiſſimum, quin omnibus Mathematicis ſtricte obſervetur*, Geometrica *etiam dici ſolet. Quoniam vero Geometris propoſitum eſt, nihil prorſus aſſerere, quod evidentiſſimum non ſit, atque certiſſimum; tunc ſane id aſſequemur in noſtris demonſtrationibus conficiendis, ſi, ut illi ſolent, nihil in vocibus caliginoſum, & ambiguum ſit. Si enim voces obſcuras adhibeamus, ſenſa noſtra haud intelligi poterunt, adeoque alio-*

Demonſtratio vulgo definitur: *ratiocinatio, vel ratiocinationum ſeries conſtans ex praemiſſis neceſſario veris, hoc eſt vel per ſe evidentibus, vel per alias propoſitiones iam probatis, ex quibus neceſſario vera infertur concluſio*. Dicitur *ratiocinatio, vel ratiocinationum ſeries*; nam raro admodum fit, ut unica ratiocinatione, aut ſyllogiſmo abſolvatur demonſtratio. Conſtat inſuper *ex premiſſis neceſſario veris*, ſcilicet ex praemiſſis, quarum veritas aut per ſe lucet, ut in axiomatis, aut per alias priores iam probata eſt, ut in aliis propoſitionibus cernitur; ex quibus neceſſario vera deducitur concluſio. Legitima, & accurata rei demonſtratio duo exigit; I. ut omnes propoſitiones, quae aliquid obſcuritatis involvunt, rite probentur ope praemiſſarum definitionum, axiomatum (1), vel demonſtrata-

---

rum aſſenſum non evincemus: ſi ambiguas, fieri poteſt, ut in alio ſenſu ab aliis accipiantur, proindeque ratiocinationum noſtrarum vis minime percipietur. Hinc definiantur oportet voces obſcurae, & aequivocae ſignificationis. Ab eiuſmodi vocum obſcuritate pleraſque ortas eſſe controverſias, praeſertim inter Stoicos, Academicoſque, egregie admodum probavit Cicero. Ne itaque hiſce controverſiis via pateat, vocibus notiſſimis utamur: quod profecto non praeſtitit Ariſtoteles, cum ait: anima eſt Entelechia; *cuius vocis ſenſum cum Hermolaus aſſequi non poſſet, Daemonis opem imploraſſe dicitur, ut eius vim intelligeret*.

(1) Nullum adhibeatur axioma, quod non ſit evidentiſſimum. *Solent Philoſophi nonnulli huic praecepto aliud quoque addere, videlicet* ut illud evidens habeatur, quod mediocri attentione verum eſſe cognoſcitur. *Axioma*,

tarum propoſitionum [1]. II. Ne quis vocum ambigui

M 2 ta-

xioma, (*quod a Cicerone dictum fuit* effatum, ſeu pronuntiatum; *&* *ab Aulo Gel. lib.* 16. *Noct. Attic.* ſententia, communiſve notio,) *ea eſt propoſitio*, quae cuilibet attendenti manifeſta eſt; *v. gr.* totum eſt ſua parte maius: *&* *licet Philoſophi omnem noſtram cognitionem a ſenſibus oriri aſſerentes*, *axioma hoc ideo tantum aſſenſum noſtrum mereri effutiant*, *quia a prima infantia obſervavimus*, *omnem hominem ſuo capite*, *ſylvam arbore eſſe maiora*; *eorum tamen falſiſſima eſt opinio*. *Nam ſi huiuſce axiomatis veritas nobis conſtaret a variis tantum obſervationibus*, *quas nos a pueris fecerimus*, *illa foret ſolum probabilis*, *cum inductio tunc ſolum veritatis agnoſcendae medium certum ſit*, *quando certum eſt*, *inductionem perfectam eſſe*, *atque integram*. *Verumtamen nihil uſitatius eſt*, *quam eius falſitatem detegere*, *quod prius veriſſimum nobis videbatur ob inductionem adeo generalem*, *ut omni exceptione maiorem eſſe putaverimus*. *Itaque huius axiomatis veritas accepta referenda non eſt obſervationibus factis olim a nobis pueris*, *cum nihil e contra poſſit nos in plures errores praecipitare*, *quam nimia illa*, *quam infantiae praeiudiciis habemus*, *fides*. *Sed illius veritas pendet ſolummodo ab eo*, *quod in claris*, *diſtinctiſque* totius, *&* partis *ideis continetur*; *nimirum*, *quod totum eſt maius ſua parte*, *&* *pars minor eſt toto*.

(1) *Propoſitio*, *ex qua aliquid eſt inferendum*, *vel ſimplicis ſit intuitionis*, *nimirum axioma*, *vel per alias*, *certaſque propoſitiones iam probata*; *nam ſi falſa*, *aut dubia ſit*, *demonſtratio corruat neceſſe eſt*. *Nulla inferatur concluſio*, *quae non ſit neceſſario vinculo*, *&* *immediato adnexa propoſitionibus*, *ex quibus colligitur*: neceſſario, *inquam*; *alioquin ſuſpecta*, *ac dubia eſſe poſſet*: immediato; *ſecus dubium erit*, *an vere ex praemiſſis propoſitionibus ſequatur*, *necne*, *&* *probatione indigebit*.

tate abutatur, ſed definitionibus, per quas voces ipſae explanatae iam fuerant, ſemper inhaereat. Eiuſmodi ſervatis demonſtrationum legibus, tum convincitur humana mens, tum etiam illuſtratur, ideſt non ſolum certo rem eſſe, verum etiam cur ita ſit, clare, ac diſtincte intelligit. Nonnullae tamen occurrunt demonſtrationes apud Euclidem frequentiſſimae, quae intellectum quidem convincunt, ſed non illuſtrant. Huius generis ſunt, quae ex impoſſibili, & abſurdo, quod ſequeretur, ſi res ſecus ſe haberet, petuntur. In his animus noſter tranquillus quietuſque non redditur, cum ſummopere expetat praecipuum ſcientiae, ac demonſtrationis ſcopum, perſpicuitatem ſcilicet, qua norit, cur ita ſe res habeat: id autem non praeſtant huiuſmodi demonſtrationes ex abſurdo petitae, & ad eam ſpeciem demonſtrationum referuntur, quae *a poſteriori* in Scholis appellantur, quod cauſſa per effectum, natura per proprietates, antecedens per conſequens oſtenditur; ut diſtinguantur ab iis demonſtrationibus, quae *a priori* dicuntur, quibus effectus per cauſſam, proprietas per naturam, conſequens per antecedens probatur.

Poſtremo autem loco methodi ſyntheticae praecepta nobis tradentibus: I. res ordine naturali pertractentur, exordiendo ſemper a generalioribus, & ſimplicioribus, expoſitaque prius generis natura, quam ad ſingulas ſpecies deſcendatur (1): II. omne genus in ſuas ſpecies, quodlibet to-

(1) *Cognitiones ea debent lege, & ratione inter ſe diſponi, ut*

totum in ſuas partes, & quaevis difficultas in ſuos omnes caſus, quoad fieri poteſt, diſtribuatur: diximus *quoad fieri poteſt*; interdum enim contingit, ut eiuſmodi praecepta ob humanae mentis anguſtias, vel etiam ob praeſcriptos illi, quae tractatur, ſcientiae limites, ſummo iure ſervari nequeant. Ita tamen prae oculis quiſque habere illa debet, ut nunquam ab iis, niſi neceſſitate coactus, aut maiore emolumento ductus diſcedat. Haec ſane, aliaque praecepta hactenus a nobis tradita iis omnibus Ars Logica praeſcribit ſervanda, qui ad facultates dumtaxat naturales animum adiiciunt. Verum cum has logicas inſtitutiones Eccleſiaſticis praeſertim iuvenibus ſcribamus, qui ſacrae Theologiae ſtudio operam navare, ac ſeſe ad tractanda Fidei Catholicae myſteria debent comparare; non inutile fore putamus, quae ſequuntur axiomata, ſubiicere, ut ipſorum ope intelligere poſſint, qui ſint Philoſophiae, ac Theologiae limites, quid alterutri proprium ſit, quid utrique commune.

Axio-

ut una ex alia, perinde ac effectus a ſua cauſſa derivetur, quaeque poſterior eſt, ab ea, quae praecedit; lumen recipiat. In hoc enim tota poſita eſt ſyntheſis ratio, aperteque conſtat ex Matheſi, quantum ad tradendam rerum apprime etiam difficilium, & abſtruſarum nitidam, atque facilem explicationem haec regula conferat. Extra omnem controverſiam eſt, *inquit Auctor Artis cogitandi p. 4. c.* 20. & addiſci multo facilius, & memoria felicius teneri ea, quae legitimo ordine docentur; cum ideae, quae naturaliter ſibi quaſi catenatim connectuntur, & memoriae minori cum confuſione committantur, & promtius, ubi opus eſt, ſeipſas quaſi excitent, atque evocent.

AXIOMA I.

Non eſt mentis finitae infinitum poſſe comprehendere .

Idem intercedit diſcrimen cognitionem inter , & comprehenſionem , quod inter ſpeciem , & genus ; per eam enim novimus clare etiam , ac diſtincte id , quod omnino non comprehendimus ; ut omnes norunt, eſſe Deum Ens infinite perfectum ; eaque Dei cognitio clara eſt , atque diſtincta , quia Deum a ceteris omnibus rebus ita ſecernit , ut minime cum aliis confundi ipſe poſſit . Per comprehenſionem vero res agnoſcitur , quantum agnoſci poteſt , nec quidquam prorſus comprehenditur , niſi cum *nihil eius latet videntem* , ut inquit Divus Auguſtinus (1): ita ſolus Deus ſeipſum , & cetera comprehendit ; ſolus enim infinitas ſuas perfectiones ita videt , ut nulla eum lateat ; mens vero creata cum ne omnes quidem rei finitae proprietates percipere , nedum clare , ac diſtincte explicare poſſe ſe certo ſciat , nunquam tot ex divinis perfectionibus percipere poteſt , quin plures adhuc in infinitum ſibi agnoſcendae ſuperſint . Ex natura igitur mentis finitae eſt , ut infinitum nequeat comprehendere .

Axio-

(1) *Ep.* 147. *alias* 112. 2. 21. *alias c.* 9.

AXIOMA II.

Non ideo quaedam neganda ſunt, quod animo comprehendi nequeant.

Numquid [ut Auguſtini [1] verbis ad rem noſtram facientibus utamur] *ideo negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt?* Ratione naturali non concipitur, quomodo integrum Chriſti Corpus ſub minima hoſtiae particula contineatur: id tamen pro certo habendum eſt, licet cum inſita corporis naturalis idea nequeat conciliari; cum plura a Deo fieri poſſint, quam mens humana comprehendere valeat. Hinc ſi ratio a nobis petatur divinorum myſteriorum, reſpondendum eſt, ita a Deo, qui nec falli, nec fallere poteſt, & cuius viae immenſum diſtant a viis, & cogitationibus noſtris, fuiſſe revelatum [2], neque ea ſcrutari

(1) *Lib. de Don. Perſev. n. 37. alias cap. 14. in fine.*
(2) *Appoſite celeberrimus, divinuſque Poeta noſter Dantes Purg. 3.*

State contenti umana gente al quia;
Che ſe potuto aveſte veder tutto,
Meſtier non era partorir Maria.

Altiſſima enim Catholicae Fidei myſteria ita mortalium oculos fugiunt, ut idem Dantes Purg. 24. *ceciuerit:*

Che l' eſſer lor v' è in ſola credenza,
Sovra la qual ſi fonda l' alta ſpene,
E però di ſuſtanzia prende intenza.
E da queſta credenza ci conviene
Sillogizzar, ſenz' aver altra viſta:
Però intenza d' argomento tiene.

fas eſſe, cum in Sacris Proverbiorum Libris habeatur [1]: *Qui ſcrutator eſt Maieſtatis, opprimetur a gloria*. Cui quidem conſentit Sanctus Ephrem [2] his verbis: *Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti: cave, ea temere ſcruteris, ne in ipſorum participatione comburaris*.

AXIOMA III.

In rebus, quae nobis a Deo revelatae fuerint, licet rationem humanam ſuperent, ratio ipſa docet, ſubiiciendum eſſe intellectum auctoritati divinae.

Id ex ſuperius dictis inferri facile poteſt. Nam ſi ratio nobis perſuadet, longe plura a Deo fieri poſſe, quam mens noſtra valeat comprehendere; ipſumque adeo bonum eſſe, atque perfectum, ut nec fallere, fallique poſſit [3]; manifeſtiſſime ſequitur, mentem noſtram non de-

(1) *Cap.* 25. *v.* 27.

(2) *Tract. de Nat. Dei curioſe non ſcrutanda*.

(3) Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax, *ait Apoſtolus ad Rom c.* 3. *v.* 4.; *& in* 2. *ad Tim. c.* 2. *v.* 13.: Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. *Et D. Auguſtinus lib.* 1. *de Sym. cap.* 1. Cum ſit omnipotens, *inquit*, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt. *Et lib.* 20. *de Civ. Dei c.* 25. Dum de omnipotentia Dei tam multa dixerimus, ſi volunt invenire; quod omnipotens non poteſt, habent prorſus: ego dicam, mentiri non poteſt, Dominus autem id mihi manifeſte videtur confirmare, cum ait: caelum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Vel concidat ergo omne cae-

debere, neque dubitare poſſe de illorum veritate, ac certitudine, quae a Deo revelantur; licet eorum vim, ac rationem mens ipſa non comprehendat. Magis quippe repugnat, Deum falli, vel fallere, quam vera ea non eſſe, quae ratio vel evidentiſſima oſtendit: unde ſapientiſſimus Lyranus illud Pſalmi 92. exponens, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis; credibilia*, inquit, *facta ſunt nimis, ſcilicet magis quam prima principia ſcientiarum naturalium*. Credendum autem eſt a Deo revelatum, quod a Scriptura, Traditionibus, Eccleſia, Oecumenicis Conciliis, Romanoque Pontifice definitum eſt; quemadmodum ea omnia, quae in rebus ad religionem ſpectantibus omnes ſimul SS. Patres nos edocent.

Id a Theologis, quorum praeſertim intereſt, fuſe probatur: de Sacra quidem Scriptura, quod Deo inſpirante, ac dictante conſcripta fuerit.

Libri enim Sacri & Canonici ii appellantur, quos Spiritu Sancto dictante Sacri Auctores exceperunt. Quos igitur tales eſſe conſtiterit, eos dubio procul certiſſimos, ac veriſſimos eſſe credemus, quemadmodum Auguſtinus [1] docet, reſumit, inculcat. Ac recte ille quidem. Niſi enim fundamentum hoc fideliter ieceris, quidquid in

caelum, omniſque natura, divina tamen veritas conſiſtat neceſſe eſt.

(1) *Lib. de Civ. Dei* 11. *cap.* 3., & *lib. Confeſſ. cap.* 15., & *epiſt.* 7. *ad Marcellinum*, & *epiſt.* 19. *ad Hieron.*, & *lib.* 1. *de doctr. Chriſti cap.* 37., & *lib.* 2. *de Baptiſ. contr. Donat. cap.* 3., & *in prooemio lib.* 3. *de Trinit.*

in Theologia ſuperſtruxeris , corruet : corruetque adeo civitas illa Dei , cuius *fundamenta in montibus ſanctis* , & *in ſcripturis principum* , *qui fuerunt in ea* . Quarum Scripturarum auctor eſt non homo , ſed Deus . Dominus enim narrabit in ſcripturis populorum , & principum horum , qui fuerunt in ea . Dominus igitur huius loci auctoritatem tuetur , tuentur & principes . Turris quippe David eſt , & mille clypei pendent ex ea , omnis armatura fortium .

Firmum pariter , & inconcuſſum haberi debet , quidquid nos docet Traditio (1) , quia id , cuius nulla origo reperitur , ad Apoſtolos , eorumque Magiſtrum Chriſtum Dominum referendum eſt ; nam , ut ait Sanctus Auguſtinus (2) : *quod univerſa tenet Eccleſia* , *nec Conciliis inſtitutum* , *ſed ſemper retentum eſt* , *nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum* , *rectiſſime creditur* . Non enim omnia , quae ad doctrinam Catholicam ſpectant , ſunt in Sacris Literis expreſſa . Nam , ut notat doctiſſimus Melchior Canus , perpetua Beatae Mariae virginitas , deſcenſus Chriſti ad inferos , Baptiſmus parvulorum , converſio panis & vini in Corpus , & Sanguinem Chriſti , Proceſſio Spiritus San-

(1) *Eccleſiae Traditio etiam ſine literis accepta eamdem vim habet* , *ac ſi ſcripta ab Apoſtolis eſſet* . *Tertullianus enim* , *quamvis ipſe poſtea ab Eccleſiae Traditione receſſerit* , *in libro tamen* de corona militis *hanc profert ſententiam* : antiquas , *inquit* , obſervationes Eccleſiae , ſi nulla ſcriptura determinavit , certe conſuetudo corroboravit , quae ſine dubio de Traditione manavit .

(2) *Lib.* 4. *de Bapt. contra Donatiſtas cap.* 24.

Sanɑi ex Filio, trium Perſonarum in una Subſtantia aequalitas, & earumdem per relativas proprietates diſtinctio, non ita expreſſa in Libris Sacris invenientur; ſed adeo tamen certa in Fide ſunt, ut contrariorum dogmatum auctores Eccleſia haereticos iudicarit. Huius autem rei ratio in promtu eſt; ſi enim rei cuiuſquam diu in tota Eccleſia obſervatae originem & principium nec ad Summos Pontifices, nec ad Concilia Epiſcoporum referre poſſumus, ſed ea conſuetudo ad Apoſtolorum uſque tempora retrotrahitur; conficitur plane, illam ab Apoſtolis eſſe profectam [1].

Ad Eccleſiam vero quod ſpectat, quae Sponſa, & Corpus Chriſti eſt, cuius corporis anima eſt Spiritus veritatis, quidquid tanquam Fidei dogma tenet, verum eſt; & quod circa Fidem definit, non quidem novos articulos Fidei condendo, ſed iam conſtitutos magis explicando, id pro certae, & inconcuſſae veritatis oraculo eſt habendum, cum ſit *Columna*, *& Firmamentum veritatis*

(1) *D. Baſilius in lib.* de Spiritu Sancto cap. 27. *magno quidem argumento hanc rem confirmat, dicens:* Dogmata, quae in Eccleſia praedicantur, quaedam habemus e doctrina ſcripto prodita, quaedam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio occulto recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem. Nec in his quiſquam contradicit, qui ſane vel tenuiter expertus eſt. Nam ſi conſuetudines, quae ſcripto proditae non ſunt, tanquam non multum habentes momenti, conemur reiicere, & ea damnabimus, quae in Evangelio neceſſaria ad ſalutem habentur; immo potius ipſam Fidei praedicationem ad nudum nomen contrahemus.

tis [1]; & cum ipſe Chriſtus aperte dixerit, nunquam fore, ut *portae inferi adverſus Eccleſiam praevaleant* [2].

Tenendum inſuper tanquam Fidei Dogma, quod a Conciliis Generalibus, a Romano Pontifice coactis, eiuſque auctoritate confirmatis definitur, ſive illud mores, ſive fidem reſpiciat [3], cum Chriſtus ipſe pronunciaverit [4]: *Ubi fuerint duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum*. Cum duo vel tres auctoritate Chriſti conveniunt in aliquem locum, & ab ipſo veritatis cognitionem petunt, Deus eis largitur eiuſdem veritatis cognitionem: ergo a fortiori eam largitur Epiſcopis ad Generale Concilium auctoritate Chriſti coactis.

Romanus quoque Pontifex cum in Petri locum, fidem, auctoritatemque ſuccedat, in Fidei controverſiis finiendis, & in doctrina morum tradenda errare non poteſt, quod Petro, eiuſque Succeſſoribus promiſerit Chriſtus: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos* [5].

Fir-

(1) *Ep. ad. Tim. c. 3. v. 15.*
(2) *Matth. c. 16. v. 28.*
(3) *Hoc autem ita exploratum habere opus eſt, ut eius contrarium haereticum ſit. Si enim Concilium Generale errare in Fide poſſet, nulla profecto certa via eſſet reliqua, ut in Fidei controverſiis Catholica dogmata explorari poſſent. Qui enim Summi Pontificis, ac reliquorum omnium Eccleſiae Paſtorum iudicium detrectat, is nullum vivum iudicem inventurus eſt, a cuius tribunali non liceat diſcedere.*
(4) *Matth. c. 18. v. 20.*
(5) *Lucae cap. 22. v. 32.*

Firmo denique conſtantique animo tanquam certum haberi debet, quod omnes ſimul SS. Patres in rebus ad Religionem ſpectantibus tradidere; quoniam cum SS. Patres a Deo miſſi fuerint, ut Eccleſiam erudirent (1), fieri ne-

(1) *Etenim D. Paulus* Epiſt. ad Epheſ. c. 4. *ait, datos a Deo fuiſſe Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, atque Doctores, ne parvuli fluctuantes ſimus, & circumferamur omni vento doctrinae. Apoſtoli autem, Prophetae, & Evangeliſtae in rebus graviſſimis propoſitiones edunt ab omni errore prorſus immunes. Igitur Sancti Patres, qui ſunt Doctores, certas propoſitiones habent, ſaltem ubi omnes conſentiunt. Et re quidem vera Eccleſia putat, decipi non poſſe Patres, ſi in rem aliquam conſenſerint. [illegible] enim Sexta affirmat, Patrum ſenſum non modo [illegible] eſſe, verum etiam verba. Lateranenſe praeterea [illegible] ſub Martino V. habitum ſtatuit* Can. 11. & 1[illegible] *[illegible] Apoſtolicam Eccleſiam reiici, qui Patres in re gravi conſonantes reſpuerint. Quomodo inſuper everſae haereſes fuere, niſi Patrum teſtimoniis? Concilium Epheſinum, ut contra Neſtorium decerneret, afferri iuſſit Patrum ſententias; quod cum praeſtitum fuiſſet, damnatus fuit Neſtorius, probatus Cyrillus; ille enim antiquitati adverſus eſſe creditus fuit, hic conſentaneus. Agatho pariter Summus Pontifex duplicem Chriſti voluntatem ſtatuit ex conſentientium Patrum teſtimoniis. Monothelitae vero in ſui defenſionem infirmitatem conſenſionis non attulere, ſed potius textuum mutilationem. Igitur certam omnino fidem faciunt convenientium Patrum propoſitiones, eorumque doctrina penitus divina, quia a Deo ipſo proficiſcitur, ut eius ope Eccleſia illuſtretur, confirmetur Fides, moreſque componantur. Hinc merito redarguendus Dalleus* de uſu Patr. lib. 1., *qui poſt accuratum Patrum examen undecim enumerat rationes, quibus probare contendit,*

nequaquam potuit, ut in iis, quae ad Fidem illuſtrandam, & mores componendos pertinent, omnes ſimul erraverint.

A X I O M A IV.

Articulus Fidei non alia auctoritate conſtitui poteſt, quam Scripturae, Traditionis, Univerſalis Eccleſiae, Conciliorum, Romanorumque Pontificum; quare hominum quorumcumque auctoritas divina eſſe non poteſt.

Hoc axioma ex Scoto (1) repetimus, qui ait, *habendam eſſe maiorem auctoritatem ad hoc, ut aliquid teneatur eſſe de fide, quam quod Sanctus aliquis ſic arguat.* Si igitur in diſciplinis omnibus, quae a Sanctis Eccleſiae Patribus uſurpatae, vel illuſtratae fuerunt, eorum auctoritas divina, & infallibilis eſſe nequit; id potiori quidem iure dicendum erit de Philoſophicis facultatibus (2). Pluri-

dit, nihil peti a Patribus poſſe, nihilque confirmari eorum teſtimoniis. Iudicium certe ſuum continuiſſet, ſi in Eccleſia Romana extare viros in evolvendis Patribus diligentiſſimos obſervaſſet. Ad hanc rem conſuli poteſt Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Vol. 4. Sect. 2. Diſſert. 16. §. 22., *qui Dallei criminationibus penſitatis ſingulas fuſius evertit.*

(1) *In lib. 1. Sentent. diſt. 26. quaeſt. 1. 2. 30.*

(2) *Albertus ille Magnus, quem Angelicus Doctor praeceptorem habuit, quem Sapientia divinitus inſpirata celeberrimum reddidit, ingenue de ſe, ſuiſque in Ariſtotelem Commentariis fatebatur:* In his nihil dixi ſecundum opinionem meam propriam, ſed iuxta rationes Peripateticorum; & ideo illos laudet, vel reprehendat, non me. *Comment. in Ariſt. circa finem.*

Digitized by Google

rimus tamen honor illis, eorumque dictis haberi debet, iis praeſertim, quae ad Fidem illuſtrandam, moreſque componendos pertinent, cum illos duces, interpretes, & Eccleſiae lumina Deus deſtinaverit: quapropter in iis, quae Philoſophicas ſcientias reſpiciunt, Sanctorum Patrum auctoritas maioris non eſt ponderis, quam ſit auctoritas illorum Philoſophorum, quos ipſi Patres ſequuti ſunt. Unde tanti valent Sanctorum Patrum dicta quanti rationes, quibus illa innituntur, adeoque recedere, vel diſſentiri fas eſt ab eorum ſententiis, verecunde tamen, ac modeſtiſſime.

Haec ſane principia ad divinam auctoritatem, divinamque fidem inde manantem pertinent: quae autem ſequuntur axiomata duo humanae fidei vim, auctoritatemque, & uſum decernunt.

A X I O M A I.

Fides humana dubia, & incerta eſt.

Humana fides hominum auctoritati innititur. Homines aut falli ex mentis imbecillitate, aut fallere ex malitia, vel pravo voluntatis affectu poſſunt, iuxta illud Regii Prophetae (1): *omnis homo mendax*. Ergo humana fides dubia eſt, & incerta.

C O R O L L A R I U M.

Nullius igitur hominis tanta eſſe debet auctoritas, quae

(1) *Pſal.* 115.

quae intellectum captivet [1]. Unde Seneca [2] ait: *Multum magnorum virorum iudicio credo, ſed non me cuiquam emancipavi*.

AXIOMA II.

Auctoritas tamen, & humana fides interdum certiſſima eſt, cum omnes nimirum, aut plurimi in aliquo conſentiunt.

Ut enim habet Tullius [3]: *Id, de quo omnium natura conſentit, verum eſſe neceſſe eſt*. Evidentiam quippe habere videtur in ſolo lumine naturali; ut proinde tanquam naturae lex ſpectari illud optime poſſit, teſte eodem Tullio [4], dum inquit: *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturae putanda eſt*. Quis enim inſanientis eſſe non videat, aſſerere Iulium Caeſarem, Titum Livium,

(1) *Lactantius Inſtitutionum lib.* 5. *c.* 10. *inquit:* Neſcio enim quomodo plerique errare malunt, & eam ſententiam, quam adamarunt, pervicaciſſime defendere, quam ſine pertinacia, quid conſtantiſſime dicatur, exquirere; a quibus ſi perſuaſionis rationem exquiras, nullam poſſunt reddere, ſed ad Maiorum iudicia confugiunt, quod illi ſapientes fuerint, illi probaverint, illi ſcierint, quid eſſet optimum, ſeque ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt; atque utinam ſoli errarent, ſoli decipere vellent; alios etiam in conſortium ſui mali trahunt, quaſi habituri ſolatium de perditione multorum.

(2) *Epiſt.* 45.

(3) *Lib.* 1. *de Nat. Deor. c.* 17.

(4) *Lib.* 1. *qq. Tuſc. cap.* 13.

vium, Ciceronem nunquam fuiſſe, cum id ab omnibus hominibus, ab omnibus retro temporibus conſtantiſſime proditum fuerit?

Praeterea ex eodem conſequitur axiomate, omnem librum eſſe genuinum, qui genuinus habitus eſt ab omnibus proxima, & continuata ſerie cum ſequentibus aetatibus. Quod ſane axioma uſurpabat Moſes [1], cum divinorum beneficiorum, univerſaeque Hiſtoriae Sacrae veritatem comprobare vellet: *Haeccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens? Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creavit te? Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi: quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos Populorum iuxta numerum filiorum Iſrael*. Contra vero ſuppoſititium cenſendum eſt opus illud, quod toti antiquitati ignotum penitus fuerit, & rerum, perſonarumve poſterioris aetatis mentionem faciat. Ita Symbolum, quod D. Athanaſii nomine circumfertur, apocriphum eſſe ſentiunt plurimi, quod in nullis ms. codicibus inter cetera eius opera inveniatur; quod a cooevis Athanaſio Patribus ipſius auctoritates in haereticos ſaepius uſurpantibus non memoretur; quod Neſtorii, & Eutychetis haereſes, quae nondum eruperant, ibi damnentur [2]. Mercurii pariter Triſmegiſti opera;

(1) *Deut.* 32. 6. 7. 8.

(2) Qui licet Deus ſit, & Homo *contra Eutychetem*, non duo tamen, *ut putabat Neſtorius*, ſed unus eſt Chriſtus,

Sybillarum, *Zoroaſtris* carmina tanto olim in pretio habita, ſpuria modo ſapientioribus viris putantur, quod plura contineant, quae iis temporibus non conveniant. Itaque, ut omnia complectamur, quibus genuina a ſuppoſititiis operibus facile diſtinguantur, nonnulla praecepta a praeſtantioribus Criticis depromta trademus, quorum ope legitima a ſpuriis & illegitimis ſcriptis diſcernantur. Si autem in iis explicandis exempla afferimus ab Eccleſiaſtica Hiſtoria petita, tyronum noſtrorum gratia illud fit, qui ad Theologica ſtudia debent ſuo tempore ſe comparare.

I. Itaque *corruptum eſt opus, quod eventa continet ſcriptore ipſo recentiora*; fieri enim nullo pacto poteſt, ut ſine divinandi arte, quae nondum ſequuta ſunt, recenſeantur. Athanaſio propterea abiudicant libellum Imaginis Chriſti, quae a Iudaeis graviter ſauciata Sanguinem effudiſſe fertur. Sigebertus enim affirmat, illud contigiſſe ſub Conſtantino, & Irene, octavo ſcilicet Eccleſiae ſaeculo, adeoque poſt Athanaſii aetatem, qui quarto ineunte ſaeculo floruit. Tribui idcirco illi non poteſt opus memoratum.

II. *Suſpicioni opus ſubeſt, quod voces continet ſcriptoris aetate inuſitatas*. Ubi nimirum voces ſint recentius inductae, compertum ſit, ad opus aliud pertinere, & eſſe alterius ſcriptoris opus. Exemplum ſit vox *Metropolitanus*, quam Concilium Nicaenum primo invexit, prioribus ſaeculis minime uſurpatam. Si enim in ſcriptore quopiam trium priorum ſaeculorum ſonet vox iſta, certam operis ſuppoſitionem indicabit.

III. *Suppoſititium eſt opus , quod narrationes exhibet a gravitate ſcriptoris alienas* . Credi nulla ratione poteſt , fabulis indulſiſſe ſcriptorem , iudicio apprime praeditum , & quem ſumma diligentia commendaverit. Huiuſce regulae praeſidio opus *de Vita Prophetarum* Epiphanio adſcriptum genuinum non eſt , quod fabulis refertum eſſe dolet Petavius . Prae ceteris narrat , abſorptam a ſaxo fuiſſe Arcam , & e ſaxo illo erupturam poſtremo Iudicii die ; collocandam eſſe ſubdit in monte Sina , ut ſancti viri ad illam confluentes vitam obtineant . Quis ſapientiſſimo Epiphanio has tribuat ineptias ?

IV. *Dubitandum de opere eſt , cuius ſtylus diverſus ſit a ſtylo ſcriptoris* . Sicuti humani vultus notae inſunt peculiares , ita ſtylo non deſunt ſuae , quibus auctor ab alio diſtinguitur . Perdifficile quidem non eſt , ſtylorum diſcrimen internoſcere ; & in rem hanc complures tradidit regulas erudititiſſimus vir Mabillonius (1) , idemque praeſtitit Amortius (2) , qui id etiam confirmavit complurium virorum celeberrimorum exemplis .

V. *Corruptum eſt opus , quod opiniones exhibet menti ſcriptoris adverſas* . Ab homine tantum ſtolidiſſimo ſcribi res poſſunt , quae inter ſe pugnent aperte . Qui animum mutat , & prudens eſt , rem palam profitetur , rationeſque affert , quibus ſenſa animi mutet . Hanc tantum ob cauſſam Hieronymus Martyri Pamphylo adimit confectam pro Origene apologiam . Obſervat enim , a Martyre illo Ori-

(1) *P. 2. de Studiis Monaſticis c. 13.*
(2) *Princ. Art. Crit. part. 7. cap. 1. & ſeq.*

Digitized by Google

Origenem Arianorum vindicem putari, in apologia vero defenſorem nuncupari Concilii Nicaeni; quae duo inter ſe penitus pugnare videntur.

VI. *Incertum eſt opus, quod praetermiſſum fuit in operum omnium recenſione.* Dubitare nimirum poſſumus de opere, quod ſilentio praeterierint Hieronymus, Photius, aliiqui rerum ſcriptarum collectores. Quod ſi aliqua de cauſſa illud neglexerint, continendum iudicium eſt, quoad veritas patefiat. Illud ſi obſervaſſet Launoius, D. Thomae non abiudicaſſet Summam Theologicam. Comperiſſet enim, Clementem VI. ſcripta D. Thomae memoriter numerantem, omiſiſſe librum illum memoriae defectu. Haec enim praecipua videtur eſſe ratio Launoii.

VII. *Dubium eſt opus, quo in ſui defenſionem uſi non ſunt diſputantes.* Nihil intentatum relinquunt, quo rebus ſuis conſulant homines in diſputatione; ut ſi opus aliquod non memorent, veniat illud in ſuſpicionem. Explorata res eſt, id prae ceteris fuiſſe in cauſſa, quare de Dionyſii Areopagitae ſcriptis dubitaretur, quae vocem hypoſtaſeos, ſeu perſonae continebant*. Illis enim contra Sabellium uſus fuiſſet Oſius in Concilio Alexandrino anno 361. celebrato, in quo potiſſimum orta diſputatio fuit de hypoſtaſeos ſignificatione. Praeteriit autem, quia nomine Dionyſii nondum prodierant.

Eiusdem axiomatis ope diſcernuntur verae a falſis hiſtoriis; quare cum plures cordati viri aliquid narrant, verum putandum eſt. Etenim cum hiſtoriae fundamenta

Digitized by Google

damentum ſit auctoritas, haec autem teſte fide digno nitatur, & fide dignus ſit, qui nec vult, nec poteſt ullum decipere; quo magis certum eſt, neminem ſe voluiſſe, ac potuiſſe circumvenire, eo fidem illi maiorem habere quiſque debet (1). Omnes itaque, quibus mens ſana

ſit,

(1) *Sapientiſſimus pluries laudatus Melchior Canus duas nobis effert graviſſimi hiſtorici proprietates, morum ſcilicet integritatem, & ingenii aciem. Qui re alterutra caret, fucum dubio procul facit; conſulto quidem ſi improbus ſit, inconſulto vero, ſi rudis ſit, & imperitus: Haec autem quo facilius in viro unico repetiuntur, eo difficilius in multis extant; vitium enim multorum eſt, virtus paucorum. Viri igitur graviſſimi teſtimonium aliis multis eſt anteferendum. Hiſtoricus ut fidem ſibi comparet, adeſſe rei debet tempore, & loco, aut ab illa parum diſtare. Illud autem ſicut ſcriptori unico convenire poteſt; ita repugnat pluribus. Plures enim ſcriptores inter ſe tempore diſſentiunt, ut ad ſaeculum fortaſſe quintum alter pertineat, alter ad nonum. Idemque de locis dicendum; interdum enim ſcriptorum quis in Gallia degit, alius in Anglia; aut in Germania commoratur. Cum igitur a re omnino diſtent, poſthabendi ſunt unico ſcriptori: Eventa inſuper humana ubi ad multos deferantur, concreſcunt ſenſim, & fiunt fabuloſa: Amat enim quiſque adiicere narrationi aliquid de penu ſua; & quod ab unico ſcriptore traditum veriſſimum erat, fit multorum teſtimonio prorſus confictum, atque falſum. In rei confirmationem ſit vera Ioannis VIII. in reſtituendo Photio inconſtantia; qua factum fuit, ut nonnulli inter Leonem IV., & Benedictum III. collocarent Ioannam Papiſſam. Hoc apud haereticum Creſpinum* de Statu Eccleſiae *extat; quod tamen a Florimondo in opere ſuo de Antipapis everſum luculenter fuit; & a Blondello. Hinc comperitur, quo pacto res vera*

ad

Digitized by Google

ſit, verá cenſere, certoque credere debent ea miracula, quae D. Auguſtinus in Confeſſionum Libris ſuis ſe oculis intuitum eſſe teſtatür; cuiuſmodi fuit illud coeci, qui Sanctorum Gervaſii, & Protaſii Reliquiarum contactu lumen oculorum recepit, univerſo Mediolanenſi populo inſpectante; fieri enim nullo pacto poterat, virum tantum, & mendacii hoſtem adeo infenſum voluiſſe, ac potuiſſe mentiri, cum ſtatim infinito ferme teſtium numero mendacii potuiſſet redargui: quod ad Religionis dedecus, & ignominiam non poterat non redundare. Poſtremo tandem loco adnotandum occurrit, quod ſi teſtis aliquis ſemel mendax fuerit, in nulla ſua aſſertione fidem meretur; ut enim opportune monet Tullius (1): *Ubi ſemel quis peieraverit, ei credi poſtea, etiamſi* per

ad multos deducta in fabulam convertatur ex libidine, qua quiſque aliquid addit aliorum teſtimoniis. Illud quoque rationi conſonum eſt, quod viris ſapientiſſimis probatum fuit. Extra dubitationem autem eſt, viros ſapientes ſcriptori unico interdum tribuiſſe pluſquam ceteris aliis. In rei probationem vocari poteſt volatus Simonis Magi, eiuſque ruina, quam ſaeculo III. primus omnium docuit Arnobius. Hanc ſane viri quamplures impugnarunt, nimirum Valeſius, Ornius, Frichius, Schmidius, & Langius. Innitebantur vero ei dumtaxat rationi, quod nullus veterum ante Arnobium ſcriptis commendaſſet illud eventum. Adverſus omnes tamen, qui tacuerant, valuit auctoritas Arnobii, ut Critici noſtrae aetatis acutiores fere omnes nullatenus ambigant de caſu Simonis. Prudenter igitur operatur, qui graviſſimum ſcriptorem aliis etiam multis anteponit.

(1) *Pro Caio Rabirio Poſthumo.*

Digitized by Google

per plures Deos iuret , non oportet : & recte quidem ; etenim cum adſit hoc ipſo ſufficiens internae malitiae praeſumtio , ſuſpicari ſine piaculo licet , ipſum in aliis quoque mentiri .

Et haec ſane , quae de vario divinae , humanaeque auctoritatis momento , ac de fide ab utraque manante a nobis ſunt in medium allata , ſilentio ptaetereunda non erant , cum ad earum rerum cognitionem manuducant , quas ignorare , viros praeſertim Eccleſiaſticos minime decet .

FINIS.

Digitized by Google

005652859

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google